

Luis de Molina, S. I.

## De fide

Commentarios a la II.II, q. 1-16

Edición y notas por  
MARIANO PRADOS, S. I., y EDUARDO MOORE, S. I.

**In Articulum tertium [quaestionis primae] \*.**

**Utrum fidei possit subesse falsum.**

**Disputatio 1.**

Conclusio est: Fidei catholicae non possit subesse falsum, quasi falsum sit quod fide retineamus. Probatur, quia ratio obiectiva et medium credendi fidei catholicae est esse revelatum a Deo, ut articulo primo visum est<sup>1</sup>; sed Deus, cum sit veritas prima non solum in essendo, sed etiam in cognoscendo et dicendo, neque fallere potest neque falli, id est, mentiri et decipere; cum ergo nihil cadat sub fide, nisi [f. 98v] in quantum revelatum et dictum est a Deo, per se vel per ministros suos, fit ut fidei falsum subesse non possit.

**Utrum Deus de potentia absoluta per se vel per alium  
fallere atque mentiri possit.**

**Disputatio 2.**

Quod Deus nullo modo falli possit certissimum atque receptissimum est; in Deo namque ignoratio nulla cadere potest, ut 1 p.,

\* Cfr. ArchTeolGran 39 (1976) 207-259; 40 (1977) 101-235.

1. Cfr. ArchTeolGran 39 (1976) 238-251.

q. 14, visum est<sup>2</sup>. Quod vero neque per se neque per alium de potentia absoluta fallere atque mentiri possit, non omnes admittunt, cum tamen inde et probatio et veritas conclusionis propositae pendere videantur. Ut vero clarius procedamus statuendum est prius quid sit fallere et quid mentiri. Mentiri namque, ut colligitur ex Augustino, in *Enchiridion*<sup>3</sup>, et refertur capite *Ex eis autem*, 22, q. 2<sup>4</sup>, et ex Gelasio, ibidem, capite *Beatus*<sup>5</sup>, est contra mentem ire, hoc est, aliud affirmare aut negare verbis aut aliis signis ac mente quam putatur rem se habere. Quo fit ut homo non solum mentiatur proferendo tamquam verum quod videt falsum esse, quando quidem id esset contra mentem, sed etiam ut homo proferendo quod secundum se falsum est, putans tamen verum esse non mentiatur quare non it contra mentem. Inde enim aliquid habet quod formaliter sit aut non sit mendacium, quod in eo cernatur aut non cernatur contra mentem. Deus autem cum non possit aliter de rebus iudicare ac se habent a parte rei, si mentiretur esse proferendum tamquam verum quod videret esse falsum. Fallere autem proprie loquendo non est aliqua facere aut dare aliquid, unde alius sumit occasionem se ipsum decipiendi, in qua significatione res a Deo creata dicuntur muscipula pedibus incipientium, sed est mentiendo efficere ut aliquis decipiatur, atque hoc modo sumitur [f. 99r] hoc loco; quare in proposito idem est utrum Deus de potentia absoluta possit per se vel per alium fallere, atque quarere utrum possit mentiri.

His prae habitis non defuerunt qui affirmarent Deum de potentia absoluta posse mentiri ac fallere per se ac ministros suos, arbitantes mendacium non habere tam intrinsecam atque innatam malitiam quin aliquando possit esse licitum atque quin Deus in praecepto de non mentiendo possit dispensare; atque de huiusmodi numero est Gabriel in 3, d. 38, q. 1<sup>6</sup>. Et argumentatur primo, quia Deus tollere potest praeceptum de non mentiendo, imo et praecipere

2. MOLINA, LUIS DE, S. I., *Commentaria in primam Divi Thomae partem*, q. 14: Ed. Venecia, 1594, pp. 161-255.

3. AUGUSTINUS, *Enchiridion ad Laurentium de fide, spe et caritate*, c. 18: PL 40, 240: «Ille mentitur qui dicit verum quod putat falsum»; c. 22: *Ib.*, 243.

4. *Corpus Iuris Canonici (C. I. C.)*, c. 4, C. XXII, Q. 2: Ed. Friedberg, 1, 867.

5. *C. I. C.*, c. 5, C. XXII, Q. 2: Ed. Friedberg, 1, 868.

6. GABRIEL BIEL, *Epitome et Collectorium in IV Sententiarum libros*, in 3, d. 38, q. un., a. 1, not. 4, et a. 2, concl. 2: Ed. Lyon 1514, s. f.

ut aliquis alium mentiendo fallat; ergo divina saltem potestate mendacium potest aliquando esse licitum et sine peccato. Consequentia patet, quia peccatum esse non potest nisi contra aliquam legem, imo nullus exequendo praeceptum divinum peccare potest. Antecedens probatur, quia neutrum quod in antecedenti sumitur implicat contradictionem.

2.º Deus dispensare potest in eo quod innocens interficiatur, imo et id praecipere, ut patet quia praecepit Abrahamo ut interficeret Isaac<sup>7</sup>; ergo poterit etiam dispensare in praecepto de non mentiendo, atque praecipere mendacium. Patet consequentia quia minus pugnat cum recta ratione et cum bono proximi mentiri quam interficere innocentem.

3.º Ut Augustinus, libro 83 quaestionum, q. 83<sup>8</sup> ait, aliqui merentur decipi et deceptione puniri; quod etiam patet ex illo Rom. 1<sup>9</sup>: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum*; ergo iustum est eos decipi et per consequens iustum est eos decipere quandoquidem omnem poenam iustam potest aliquis iuste infligere, maxime Deus qui iudex est [f. 99v] omnium. Potest igitur Deus iuste praecipere, ut aliquis alium mentiendo decipiat; et per consequens ille iussu Dei poterit illud exequi iuste.

4.º Deus (ut loco citato autor est Augustinus<sup>10</sup>) decipit per malos homines et per malos angelos; ergo poterit idem facere per bonos.

5.º Possumus, in ordine, haec argumento Gabrielis confirmare, quia, ut loquente Michaea habetur 3 Regum 22<sup>11</sup>, cum interrogasset Deus quis decipiet, Achab egressus spiritus dixit; *Ego decipiam illum, cui Deus: in quo?; et ille, egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus<sup>a</sup>: decipies et praevaleris, egredere et fac ita. Et addit Michaeas: nunc ergo ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Deus luquetus est contra te malum*; ergo Deus aliquando decipit et fallit ministerio Demonis et spiritus mali.

a. Manuscrito (=MS) tachado *discipulis*.

7. Gn 22, 2.

8. AUGUSTINUS, *De diversis quaestionibus* 83, l. 1, q. 53, 2: PL 40, 36s; n. 4: Ib., 37.

9. Rom 1, 28.

10. Véase la nota 8.

11. 1 Reg 22, 20-23.

6.º Ut habetur Exodi 11 et 12, filii Israel, Domino praecipiente, fefellerunt Aegyptios petentes ab eis vasa aurea et argentea accommodata, quae tamen secum in perpetuum ferrent; ergo Deo autore atque imperante homo hominem fallit.

7.º Iob 12<sup>12</sup> de Deo dicitur: *qui immutat [cor] principum [...] et decipit eos ut frustra incedant per invium, palpabunt quasi in tenebris et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios*; et Ezechielis 14<sup>13</sup>: *homo [...] qui posuerit immunditias in corde suo [...] et venerit ad prophetam interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum, ut capiatur, etc.* Et [fol. 100r] inferius<sup>14</sup>: *Propheta cum erraverit et luquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum* Esaiiae 63<sup>15</sup>: *quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? indurasti cor nostrum ne timeremus te.* 2 Thess 2<sup>16</sup>: *eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem<sup>b</sup> erroris ut credant mendacio.*

8.º Quando Esaias Ezechiae dixit<sup>17</sup>: *mories tu*, utique assentiebatur propriis verbis, idque lumine prophetiae, nam cognoscebat illud esse Dei revelationem, est tamen deceptus est, quandoquidem non est mortuus Ezechias. Ergo Deus per lumen prophetiae causa est aliquando prophetae quod decipiatur.

Sit nihilominus prima conclusio: Deus de potentia ordinaria mentiri non potest per se ipsum. Haec ab omnibus recipitur et est certa in fide, probaturque ex illo Rom 3<sup>18</sup>. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* 2 Tim 2<sup>19</sup>: *Ille fidelis permanet, id est, verus, negare se ipsum non potest.* Num 23<sup>20</sup>: *Non est Deus quasi homo ut mentiatur*; et ex pluribus aliis.

2.ª conclusio. Deus de potentia ordinaria neque per ministros suos potest mentiri atque fallere ad sensum explicatum. Hanc puto

b. MS: Ideo mittet illos Deus in operationem erroris...

12. Iob 12, 24s.  
13. Ez 14, 4.  
14. Ez 14, 9.  
15. Is 63, 17.  
16. 2 Tes 2, 10s.  
17. Is 38, 1.  
18. Rom 3, 4.  
19. 2 Tim 2, 13.  
20. Nm 23, 19.

etiam esse de fide. Probatur 1.<sup>o</sup>, quia mentiri tan innatam habet malitiam et repugnantiam cum recta ratione, atque cum virtute morali veritatis aut veracitatis quae opponitur vitio mentiendi, ut implicet ab ea denudari atque recte fieri, non minus quam implicet angulos trianguli non esse aequales duobus rectis. Ergo licet Deus in creaturis permittere possit mendacium sicut [fol. 100v] et cetera peccata; ut tamen non potest praecipere peccata neque movere et inclinare determinate ad peccandum, quasi eo autore fiant peccata, quandoquidem id repugnat summae ipsius bonitati, ita non potest praecipere mendacium neque inclinare aut movere determinati ad mentiendum quasi eo autore quis mentiatur. Non ergo mentiri aut fallere potest Deus per ministros suos. Lege quae diximus 1. 2, q. 100, art. 8<sup>20</sup> 21 et intelliges plenius vim huius rationis.

2.<sup>o</sup> Quando Deus per ministros suos angelos aut homines nobis loquitur, ipse loqui testatur, ut patet ex pluribus locis Scripturae, *sicut loquutus est per os sanctorum*, inquit Zaccharias<sup>21</sup>; et Paulus ad Hebr. 1.<sup>o</sup><sup>22</sup>: *Multifarie Deus loquens patribus in prophetis*, etcétera. Si ergo per illos de lege ordinaria atque de facto posset mentiri, absolute de lege ordinaria verum esset posse mentiri, quod pugnat cum locis citatis in confirmationem primae conclusionis et cum pluribus aliis.

3.<sup>o</sup> Si Deus per ministros suos de facto atque de lege ordinaria posset mentiri et fallere, non posset nobis constare an de facto fuerit nobis mentitus per apostolos et prophetas; quare corrumpitur autoritas Scripturarum sanctarum et certitudo sanctissimae fidei nostrae. Item, nulla pollicitatio Dei firma et certa esset, nisi quam Deus per se ipsum faceret, quod cum Paulo ad Hebraeos 6<sup>23</sup> pugnat. Cum enim ibi mentionem faceret de promissione Abrahae factae ministerio Angeli, Gen 22<sup>24</sup>, dixit: *volens Deus ostendere pollicitationis c. haeredibus immobilitatem consilii sui, interposuit ius iurandum, ut per duas res immobiles, pro[fol. 101r]missionem sci-*

c. MS: pollicitationem haeredibus in nobilitatem.

20<sup>21</sup> MOLINA, LUIS DE, *Expositiones in primam secundae Divi Thomae*, q. 100, a. 8: Bibl. Nacional Lisboa, cod. 2804.

21. Lc 1, 70.

22. Hch 1, 1.

23. Heb 6, 17s.

24. Gn. 22, 17.

licet et iusiurandum, *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem*. Fit ergo ut impium et contrarium fidei sit affirmare Deum de facto atque de lege ordinaria mentiri et fallere posse per ministro suos.

Tertia conclusio: Neque de potentia absoluta potest Deus per se vel per alium mentiri ac fallere. Haec patet ex prima ratione qua probavimus secundam conclusionem; tam necessaria enim est haec in moralibus *Mendacium est malum et peccatum*, quam necessaria est haec in speculativis, *anguli trianguli sunt aequales duobus rectis*. Sicut enim haec deducitur ex principiis necessariis, ita et illa ex his duobus; quod cum recta ratione et virtute veritatis pugnat, malum et peccatum est, mentiri autem cum recta ratione et virtute veracitatis pugnat; quare sicut divina potentia non est factibile quod mentiri non sit malum et peccatum, quia utrumque est omnino necessarium ex natura rei. Cum ergo Deus de potentia absoluta neque per se neque per alium possit facere malum moraliter atque peccare, fit ut neque de potentia absoluta possit per se vel per alium mentiri ac fallere.

2.º Sicut malum cum bono pugnat, ita et verum cum falso. Sed primae ac summae bonitati repugnat facere malum; ergo primae et summae veritati repugnat dicere falsum atque mentiri; unde Deus fidelis, id est, verus dicitur *in omnibus verbis suis et sanctus in omnibus operibus suis*, Psalmo 144<sup>25</sup>; et *fidelis et absque ulla iniquitate*, Deuteronomii 32<sup>26</sup>, quia quam alienus est ab iniquitate, quam neque per se neque per alium potest facere, tam alienus est a falsitate et mendacio, tantumque enim naturae immutabili repugnat. Unde cum [fol. 101v] Scriptura Numeris 23<sup>27</sup> dixisset: *Non est Deus ut homo ut mentiatur*, adiecit, *neque ut filius hominis ut mutetur*.

3.º Si Deus de potentia absoluta mentiri et fallere posset, non esset certum id non fecisse in Scripturis Sanctis, et in his quae fide tenemus, quare periret certitudo fidei catholicae et Scripturarum. Neque fit satis si quis dicat satis esse quod de lege ordinaria non possit mentiri ad hoc ut non pereat certitudo fidei et Scripturarum. Non, inquam, fit satis, quia si de potentia absoluta mentiri

25. Sal 144, 13.

26. Dt 32, 4.

27. Nm 23, 19.

potest, quod id non fecerit aut statuerit non facere, non potest aliunde nobis constare quam ex revelatione; non essemus vero certi quod in hac ipsa revelatione non esset mentitus si de potentia absoluta mentiri posset. Quare periret certitudo fidei et Scripturarum.

4.º Probatur idem ex illo Rom 3<sup>28</sup> citato: *Est autem Deus verax omnis autem homo mendax*; ubi non significat Paulus omnes homines mentiri quandoquidem esse potest homo qui non mentiatur, sed eo esse ingenio et natura ut mentiri possint; quare vult Deo suapte natura id repugnare. Item Hebraeis 6<sup>29</sup> inquit Paulus: *impossibile est promissione sua mentiri Deum*, quod absolute et simpliciter non esset verum, si ei non repugnaret mendacium.

5.º Si Deus de potentia absoluta mentiri posset, a fonte veritatis atque a veritate ipsa emanare posset mendacium; quod et cum lumine naturali pugnat et adversatur ei quod habetur I Ioannis 2<sup>39</sup>: *Mendacium ex veritate non est*. Item si Deus de potentia absoluta per se vel per alium mentiri posset, non esset prima et summa veritas qua maior cogitari non posset; quia maior et infallibilior veritas esset, si per nullam potentiam et neque per se neque per alium posset mentiri. Opti[fol. 102r]me ergo Augustinus libro 1.º de Symbolo cap. 1<sup>31</sup> dixit: Cum Deus sit omnipotens mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, et lib. 22 de Civitate Dei, cap. 25<sup>32</sup>: cum de omnipotentia, ait, tam multa dixerimus, si volunt invenire quid omnipotens non possit, habent prorsus, ego dicam: mentiri non potest.

Propter haec omnia puto admodum periculosa in fide esse sententiam eorum qui affirmant Deum de potentia absoluta per se vel per alium mentiri posse, esseque indignam maiestate et bonitate divina, et dignam retractatione.

Ad 1 ergo in oppositum negandum est antecedens: Cum enim mendacium esset malum atque peccatum et subinde non faciendum sit in se, atque in se obiectum omnino necassarium non minus quam

28. Rom 3, 4.

29. Heb 6, 18.

30. 1 Jn 2, 21.

31. AUGUSTINUS (?), *De symbolo. Sermo ad catechumenos*, c. 1, n. 2: PL 40, 627.

32. *id.*, *De civitate Dei*, l. 22, c. 25: «Sed de omnipotentia eius, quae tot et tanta facit incredibilia, iam multa diximus. Si volunt invenire quod omnipotens non potest, habent prorsus, ego dicam: mentiri non potest»: CChr 48, 853, 28-31.

angulos trianguli esse aequales duobus rectis, lex aeterna atque dictamen aeternum quo Deus iudicat mendacium esse malum et non faciendum pertinet ad scientiam Dei naturalem quae invariabilis est suapte natura, ut l. 2, q. 100, art. 8 et 1 p., q. 12, art. 8 et q. 14<sup>33</sup> ostensum est. Si enim Deus vel non iudicaret mendacium esse malum, vel non faciendum, vel aliter iudicaret de eo, sequeretur vel Deum ignorare aliquam veritatem necessariam, vel decipi aliter de eo iudicando ac res habet ex natura rei, quorum utrumque repugnat naturae divinae; inde enim sequeretur non esse sum-

33. MOLINA, LUIS DE, S. I., *Commentaria in primam Divi Thomae partem*, q. 12, a. 8, d. 3: Ed. c., p. 134 b C; ib., q. 14, a. 15: ib., p. 254s; *Expositiones in primam secundae Divi Thomae*, q. 100, a. 8: Bibl. Nac. Lisboa, cod. 2804, ff. 435v-436r. «Contra tam absurdam opinionem [Occami, In 2, d. 19] arguitur 1.º: Odium Dei si, sit actus humanus (de tali enim actu nunc nobis est sermo; qui namque actus non est humanus non est contra praecceptum) tam suapte natura est malus moraliter, hoc est, dissonans a recta ratione et a dictamine legis aeternae qua Deus iudicat non esse faciendum, quam suapte natura anguli trianguli sunt aequales duobus rectis; sed Deus non potest facere ut anguli [Ms: *angeli*; manifesta errata] trianguli non sint aequales duobus rectis; ergo nec etiam poterit facere ut actus odii Dei non sit malus moraliter et subinde illicitus. Nulla igitur potentia factibile est ut actus odii Dei licitus sit. Dicit aliquis: praecipiente Deo odium sui non manebit dictamen illud legis aeternae quo Deus iudicat actum odii non esse faciendum et subinde actus ille nec erit dissonus a lege aeterna nec malus moraliter. Contra: dictamen illud non pertinet ad scientiam Dei liberam, sed naturalem. Scientia autem Dei naturalis ita est immutabilis ut neque Deus per suam omnipotentiam aliud potuerit ea scire ab aeterno quam quod de facto scit; ergo dictamen illud non potest non esse in Deo. Utraque praemissa explicatur. In Deo duplex est scientia, naturalis scilicet et libera. Libera est qua scit contingentia, ut ante Christum fore, de... [difficil lectura] ut aliter esse potuerunt, ita ut aliud Deus potuit ab aeterno scire; si enim statuisset ante Christum non fore scivisset ante Christum non futurum. Naturalis vero est qua scit necessaria, ut hominem esse animal rationale. De his enim cum non possint aliter se habere Deus non potuit aliud scire quam scit. Cum igitur quam necessarium est [Ms repite estas palabras] angulos trianguli aequales esse duobus rectis, tam necessarium sit suapte natura odium Dei esse [f. 436r] malum obiective et non faciendum [lect. probable], fit ut sicut Deus non potest non scire angulos trianguli aequales esse duobus rectis ita non possit non scire odium Dei non esse faciendum. Et confirmatur obiectum illius dictaminis esse necessarium: quia sicut in scientiis speculativis dantur conclusiones necessariae de obiecto necessario, ita et in practicis. Si autem in moralibus conclusio haec: «Illicitum est et malum obiective Deum odio prosequi» necessaria non est, profecto nescio quae naturalis alia conclusio sit necessaria. Fit igitur ut neque praecipere oppositum neque dispensare Deus possit in praeccepto de odio Dei non habendo. 2.º Deus non potest condere legem iniquam; ergo non potest praecipere odium Dei. Antecedens patet, quia id esset facere malum quod summae et infinitae eius bonitati repugnat. Et consequentia probatur, quia talis lex iniqua esset. Lex enim aequa aut iniqua iudicatur ex obiecto quod praecipitur: Deum autem odio prosequi malum et iniquum est obiective, ut inspecta natura rei statim dictat lumen naturale intellectus. Accedit sententiam hanc esse contra articulum illum parisiensem quem refert Sotus, 2 De iustitia, q. 3, a. 8: «dicere per odium Dei posse quemquam mereri, error.»



me perfectum, et subinde nec Deum. Quare cum voluntas divina malum etiam atque peccatum velle non possit, utique fieri non potest ut Deus tollat praeceptum de non mentiendo, et multo minus ut praeciperet mendacium, quod esset condere legem iniquam. Lex enim utrum aequa aut iniqua sit ex obiecto pendet, mendacium autem ex se tam necessario malum est, ut ab eo malitia separari non possit.

Pro solutione secundi adverte quod licet Deus tamquam [f. 102v] Dominus vitae omnium possit uni concedere facultatem interficiendi alium innocentem, immo et id praecipere, sicut tu potes concedere facultatem alteri interficiendi pecus tuum et praecipere servo tuo ut illud interficiat, attamen non potes dispensare in quinto praecepto Decalogi, ut l. 2 loco citato ostensum est<sup>34</sup>, quia dispen-

34. MOLINA, LUIS DE, S. I.: *Expositiones in primam secundae Divi Thomae*, q. 100, a. 8: Bibl. Nac. Lisboa, Fundo Geral, cod. 2804, f. 438r-439r. «At profecto sententia haec [de Maior, In 3, d. 37, q. 10 y Durando, In 1, d. 14, q. 4] inde ortum habuisse videtur quod non recte inspicitur quid praecepto illo prohibeatur. Neque enim prohibetur occisio alterius quocumque modo, cum absque ulla dispensatione iudex interficere possit malefactorem, neque omnis interfectio facta privata auctoritate, cum de iure naturali unicuique propria auctoritate absque dispensatione liceat ad sui defensionem interficere invasorem, sed quod [f. 438v] est interfectio suapte natura mala obiective seu iniuriosa proximo. At cum Deus dominus sit vitae hominum nemini facit iniuriam si illum interficiat aut iubeat interficere, perinde atque homo non facit iniuriam suo pecori si illum [sic] interficiat aut iubeat interficere: quia interfectio facta auctoritate divina non comprehenditur quinto praecepto, et subinde ut illa liceat nulla opus est dispensatione in tali praecepto. Est enim prae oculis habenda in hac materia distinctio illa egregia Soti, 2 De iusticia, q. 3, a. 8 ad 3: quod in Deo duplex est potestas in universum orbem, altera qua iure creaturarum dominus est; Dominus est non solum bonorum omnium externorum, sed etiam vitae non solum hominum sed et angelorum ita ut et occidere atque in nihilum redigere cuncta possit absque cuiuscumque iniuria. Et altera qua legislator et iudex omnium est. Quae autem licet ratione prioris potestatis, licet absque ulla dispensatione. Unde si per impossibile Deus nec legislator nec iudex noster esset, nec ullam in legibus potestatem dispensandi haberet, hoc solum quod priori uteretur potestate, et vitam et bona temporalia cuiusque innocentis per se vel per alium auferre posset sine cuiusque iniuria et absque ulla dispensatione, quia auferret quod suum est; perinde ac paterfamilias et vestem proprii filii et vitam proprii pecoris cui liberit concedere potest nulla interveniente dispensatione, quia concedit quod suum, esto filius veste spoliatus invitus. Quare mirari satis nequeo cur praedicti auctores dicant in expoliatione egyptiorum nullam intervenisse dispensationem, quia Deus ut dominus dominium tradidit filiis Israel dominium rerum egyptiorum, et in immolatione qua Abraham iussu Dei voluit immolare Isaac innocentem dicant intervenisse et necessariam fuisse dispensationem, cum tamen utrobique sit par ratio: quandoquidem Deus non minus erat dominus vitae Isaac quam bonorum egyptiorum. Est ergo quintum praeceptum indispensabile perinde atque reliqua negativa. Quae enim interfectio divina auctoritate licet eo [f. 439r] non comprehenditur; quae autem comprehenditur suapte natura est iniusta adeoque innata

sare in praecepto proprie loquendo non est apponendo circumstantiam ex obiecto eximere illud ab illo praecepto, eo quod praeceptum non intelligatur quando obiectum habet illam circumstantiam, sed est nulla superveniente circumstantia ex parte obiecti facere ut id liceat pro tempore pro quo praeceptum ad id obligabat, idque per hoc quod a praecepto aufertur vis obligandi in ordine ad illud obiectum; quod non contigit quando Deus tamquam Dominus vitae tradendo potestatem in vitam alterius facit id licere; contingeret vero si non facta illa potestate in vitam alterius tamquam Dominus vitae faceret id licitum per hoc quod auferret vim obligandi a praecepto, quod tamen non est factibile, quia id esset facere ut occisio iniusta liceret, quod implicat. Exemplum est, ut ego non dispenseo cum aliquo in praecepto de non furando per hoc quod faciendo illi facultatem accipiendi mea facio illi licitum quod alias facere non poterat nisi furando et transgrediendo septimum praeceptum; dispensarem vero si non facta tali facultate auferendo vim obligandi a praecepto facerem illi licitum accipere alienum invito domino, quod tamen non est positum in mea potestate neque est factibile. Aliud accipe exemplum unde etiam intelliges quando aliquis eximatur a potestate sine dispensatione, et quando fiat dispensatio: quando superveniente infirmitate quis non tenetur ieiunare, tunc eximitur a praecepto sine dispen[f. 103r]satione, quia praeceptum numquam habuit vim obligandi in eo casu et cum tali circumstantia; quando vero nulla superveniente circumstantia quae excuset a ieiunio quis eximitur a praecepto per hoc quod Summus Pontifex aut praelatus vult ut praeceptum non habeat vim obligandi in ordine ad illum, tunc fit dispensatio in praecepto ieiunii. Ad argumentum ergo in forma, negandum est antecedens si sit sermo de dispensare in praecepto quinto Decalogi, et de praecipiendo quod contrariatur tali praecepto; neque id fecit Deus cum Abrahamo, sed absque dispensatione in praecepto, facta potestate in vitam Isaac cuius erat Dominus, fecit illi licitum interficere Isaac, et simul id ei praecepit ut faceret. Si vero in antecedente sit sermo de dispensare improprie pro eo quod est facere quoquo modo licitum quod aliter esset contra praeceptum, tunc

---

vi habet malitiam obiectivam ut implicet eam aliquando licere. Quare si per impossibile Deus non esset dominus omnium, sed solum esset legislator per potestatem quam haberet in leges, neutique facere posset ut interfectio innocentis liceret eo quod suapte natura iniusta sit, nisi auctoritate eius fiat qui dominus est vitae».

admisso antecedente neganda est consequentia, quia interficere innocentem potest denudari ab omni pugnancia cum recta ratione et ab omni iniustitia ut si fiat autoritate aut iussu eius qui est Dominus vitae, qui proinde nihil mali nihilque iniuriae in eo fecit. At vero mentiri tam innatam habet malitiam et pugnanciam cum recta ratione et virtute, ut ab ea non possit denudari, ut ostensum est.

Pro solutione tertii et sequentium adverte quod quando poena est culpa (una enim culpa esse potest poena alterius culpa) vel quando infligitur mediante culpa, tunc Deus non infligit poenam inclinando ad illam et operando illam determinate, sed permittendo et concurrando concursu universali, qui a causa secunda particulari determinatur ad materiale peccati et consequenter ad [f. 103v] id quod ad tale materiale peccati pertinet seu sequitur, v. g. quando Iudas laquaeo se suspendit solum concurrat Deus ad talem suspensionem concursu universali, qui a concursu Iudae determinatus fuit ad actum suspensionis atque peccati, permisit vero illi Deus illud peccatum atque talem mortem in poenam praecedentium delictorum. Quando item Absalon persecutus est patrem suum dormivitque cum uxoribus patris<sup>35</sup>, et Semei maledixit David<sup>36</sup>, solum concurrat Deus cum illis concursu universali, qui determinatus fuit ab ipsis ad actus illorum peccatorum, permisit tamen Deus illa peccata ut illa via puniret Davidem, propter adulterium quod commisit cum Bersabee, et propter homicidium Uriae, ut ante ei praedixerat per Natham prophetam<sup>37</sup>. Adverte tamen Deum ita punire non solum denegando maiora auxilia quibus evitarentur huiusmodi peccata atque effectus qui ex illis sequuntur, sed etiam auferendo partem luminis et auxiliorum quae antea conferebat et permittendo Daemonibus acrius tentare, unde sequuntur adventus hostium quibus aliquando punit gentes aliquas et sequuntur peccata propria alicuius quibus Deus ipsum punit, et aliena quibus Deus etiam utitur ea permittendo in poenam aliorum; sequitur praeterea obduratio et obcaecatio hominum pessimorum, maior vel minor prout Deus plus vel minus aufert luminis et auxiliorum, et prout plus vel minus permittit Daemones tentare et perturbare sequunturque varii alii effectus quibus Deus punit; numquam tamen Deus dene-

35. 2 Sam 16, 22.

36. 2 Sam 16, 5.

37. 2 Sam 12, 10ss.

gat auxilia et lumen sufficiens, quibus si vellent resurgere possent a peccatis et vitare peccata quae committunt quibus Deus eos punit aut alios qui illis mediantibus affliguntur aut inducuntur in alia peccata.

Ad sensum explicatum intelligenda sunt non solum loca Scripturae quae in argumentis positae citata [f. 104r] sunt, sed etiam plura alia de quorum numero est illud orationis Dominicae, *et ne nos inducas in tentationem*, permittendo scilicet nobis tentationes quibus succumbamus. Inducere enim dicitur vel quando permittit dando locum Diabolo ut tentet, vel denegando et subtrahendo auxilia et vires adversus tentationes quae gratuito confert vel allis viis. Item illud 2 Reg 12<sup>38</sup>: *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis huius*, permittendo scilicet Absaloni filio tuo ut haec omnia faciat, et Daemone ut ad haec omnia eum incitet, et denegando illi maiora auxilia quibus his malis et tentationibus resistet. Hac, inquam, via suscitabo illum ut puniam te propter peccata tua, praescius namque sum illum sua culpa et malitia his omnibus praebiturum assensum, quare utar peccatis illius quae impedire poteram et non impediam propter peccata tua ut hac via puniam te. Item illud Davidis de Semei, 2 Reg. 16<sup>39</sup>: *Deus praecepit ei ut malediceret David, et quis est qui audeat dicere quare sic fecerit?* Et infra, *dimittite eum ut maledicat iuxta praeceptum Domini*<sup>40</sup>, sciens David illud ita permissum esse a Deo ut ipsum puniret propter duo illa peccata quae commisit, atque Deum illa via intendere ipsum punire (non incitando Semei ad maledicendum, sed permittendo Daemone ut illum incitaret, atque utendo peccato illius in poenam illius). Decretum divinum quo voluit permittere ut incitaretur ad maledicendum appellat praeceptum Domini quo praecepit Semei ut malediceret [f. 104v] David, quasi diceret, a Deo est illa maledictio ministerio Semei in poenam meam, non incitante, sed permittente et dirigente illam permissionem in poenam meam, supposita malitia Semei. Quare satius putavit David subicere se Deo a quo sciebat dirigi maledictionem illam in poenam suorum peccatorum, patienterque illam tolerare, ut a Deo permissam et ordinatam in illum finem quam commovere cor adversus mali-

38. 2 Sam 12, 11.

39. 2 Sam 16, 10.

40. 2 Sam 16, 11.

tiam et culpam Semei quae ibi interveniebat. De numero eorundem locorum est illud Psalmi 104<sup>41</sup>: *convertit cor eorum ut odirent populum eius, et dolos facerent in servos eius*, permittendo scilicet Daemone ut ad id Aegyptios incitaret, et obcaecando atque obdurando eos utendoque malitia eorum ad exercendam patientiam populi, tum etiam ut filii Israel afflicti propensius desiderarent egredi de captivitate Aegypti, atque pluris facerent beneficium liberationis de tam dura servitute. Et illud 3 Reg. 12<sup>42</sup>, *Non acquievit rex populo quoniam adversatus fuerit eum Dominus, ut suscicaret verbum suum quod loquutus fuerat*; adversatio enim illa fuit permittendo Daemone ut ad illud concilium eum inclinaret et denegando ei auxilia.

Illud advertam hoc loco: mihi non placere quod Canus 2 de locis, cap. 4 ad 5 et 7 dicit<sup>43</sup>, videlicet quod quando in eodem motu actio est mala et passio, non tunc Deus est autor actionis, sed eam permittit dumtaxat; est vero autor passionis cum ea coniunctae, ita quod passio sit a Deo et non solum permittatur. Hoc, inquam, mihi non placet quia cum passio non aliter causetur et sit ab agente quam per actionem, utique si actio non est a Deo, neque passio quae per eam infertur, et quae cum illa est coniuncta in eodem numero motu erit a Deo. Hoc illi admitterem [f. 105r] quod actio mala moraliter non potest esse volita a Deo, sed permessa; et volita permissio illius. At vero passio bona, quae comitatur et sequitur actionem malam, cum sit obiectum bonum potest esse volita a Deo patienti supposita actione mala quae infertur ab agente; ut quando Deus permittit, ut aliquis ab alio iniuste interficiatur in poenam delictorum eius qui interficitur, non potest Deus velle ut interficiens iniuste interficiat, sed permittere dumtaxat, eo quod sit obiectum malum; potest tamen velle ut interfectus patiatur interfectionem in poenam suorum delictorum, eo quod sit obiectum bonum.

Ad 3 ergo argumentum dicendum est, malos mereri decipi, et deceptione puniri permissione dumtaxat a Deo, ut explicatum est, non vero causando directe deceptionem et mendacium quo decipiuntur, eo quod obiectum sit malum moraliter, neque aliud intendit

41. Sal 104, 25.

42. 1 Reg 12, 15.

43. CANO, MELCHOR, O. P., *De locis*, l. 2, c. 4 ad 5: ed. Serry, Madrid 1791, 1, 23; Id., ib., l. 2, c. 7: ib., 25.

eo loco Augustinus<sup>44</sup> aut probat locus ille ad Romanos 1. Unde solum sequitur quod iustum sit eos deceptione puniri<sup>d</sup>, vel quod iustam poenam accipiant quando decipiuntur Deo id permittente in poenam delictorum ipsorum. Inde vero non sequitur iustum esse eos decipere. Neque verum est quod ad id probandum assumitur, videlicet quod poenam omnem iustam possit aliquis iuste infligere, si aliter intelligatur quam saltem eam permittendo, ut cum dictum est, quando poena est culpa, non aliter iuste infligitur quam eam permittendo.

Ad 4 dicendum est Deum solum decipere per malos angelos et malos homines permissione, idemque posse facere per bonos remanentes in sua gratia, permittendo ut decipiant mendacio veniali, aut si discedant a sua gratia, permittendo ut decipiant mendacio mortali. Quod vero dicant aliqua unde aliqui occasionem sumant seipsos de[f. 105v]cipiendi (quod est improprie fallere et decipere) poterit efficere non solum permittendo, sed etiam ad id inclinando et movendo. Ex eo enim quod Christus dixit: *Solvite templum hoc*<sup>45</sup>, decepti sunt iudaei credentes loqui de templo Salomonis, cum tamen non loqueretur de templo Salomonis, sed de templo corporis sui.

Ad 5 dicendum est in illa visione imaginaria Michaeae ostensa describi consilium divinum, et angelos bonos et malos qui ab arbitrio et voluntate divina pendent; describi praeterea promptitudinem Diaboli ad suscipiendum et transformandum se in Angelum lucis, si sibi permittatur; et permissionem divinam qua ei permisit decipere prophetas Achab, unde verba illa, *egredere et facite*<sup>46</sup> non significant imperium, sed permissionem, quasi diceret: id tibi permitto. Et eodem modo exponenda sunt illa: *Ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum*<sup>47</sup>, permittendo scilicet ut Diabolus eos deciperet. Porro id quod prius dixerat Michaeas: *Ascende et vade prospere et tradet [eam] Dominus in manus regis*<sup>48</sup>, per ironiam dictum intellige, sicut est illud: *Ecce*

---

d. MS: punire.

---

44. Véase la nota 8.

45. Jn 2, 19.

46. 1 Reg 22, 22.

47. 1 Reg 22, 23.

48. 1 Reg 22, 15.

*Adam quasi unus ex nobis factus est*<sup>49</sup>. Non enim quietus Achab responsione Michaeae propter sonitum verborum quo ironice loqui videbatur, subiunxit: *Iterum atque iterum adiuro te*<sup>50</sup>, etc.

Ad 6 dicendum est quod absque mendacio poterant petere filii Israel ab Aegyptiis vasa commodata animo accipiendi non ad reddendum ea illis, sed ad sibi retinendum tamquam a Deo ipsis data. Simul namque Aegyptii poterant dare illa tamquam commodata ex parte sua et filii Israel accipere tamquam sua a Deo ipsis data, vel tamquam Domino universorum vel tamquam [f. 106r] iudice qui ea conferret in recompensationem iniuriarum quas ab Aegyptiis acceperant. Porro filii Israel primum horum erat quod petebant, unde Aegyptii se ipsos decipere potuerunt absque culpa hebraeorum credentes hebraeos ea accipere commodata.

Ad loca citata in 7.<sup>o</sup> argumento dicendum est intelligi permitiendo Daemoni aut causis secundis ut id faciant, et substrahendo lumen atque auxilia, non vero influendo per se ipsum deceptionem aut praecipiendo alicui ut decipiat.

Ad 8 dicendum est non esse certum Esaiam praebuisse absolute assensum propriis verbis, et non potius cum hac limitatione: quantum est ex parte infirmitatis gravissimae quam habes, causarumque naturalium in quo nulla erat deceptio. Dicendum est deinde, quod esto absolute praebuisset assensum; non esset tamen deceptus, quia suapte natura intelligitur quantum est ex parte ordinis naturalis et causarum per quas iudico, licet Deus miraculose aliud facere possit. Adde quod Esaias ex ostensione interius sibi facta sumeret occasionem se ipsum decipiendi, non tamen interveniret mendacium, quandoquidem non iret contra mentem, neque deceptio esset a Deo nisi occasionalis et permissiva, quod non est contra ea quae definita sunt.

49. Gn 3, 22.

50. 1 Reg 22, 16.

**Solutio quorundam dubiorum circa  
conclusionem articuli.**

**Disputatio 3.**

Quae dici poterant circa 1 argumentum quod loco hoc proponit D. Thomas, dicta sunt in principio huius operis in fine disputationis 13<sup>51</sup>. 2.<sup>o</sup> loco argumentatur D. Thomas<sup>52</sup> quia Abraham habuit assensum fidei quod Christus erat nasciturus, et tamen postquam habuit illum assensum poterat Christus non nasci, quia erat futurum contingens quod et esse et non esse poterat; ergo illi assensui fidei poterat subesse falsum. [f. 106v] 3.<sup>o</sup> Iudaei fide catholica credebant Christum esse nasciturum; potuit ergo iudaeus aliquis elicere illum assensum paulo ante Christum natum et continuare illum etiam post Christum natum. Sed tunc assensus ille esset falsus, quia post nativitatem Christi falsum est dicere Christus nascetur; ergo fidei catholicae potest subesse falsum.

4.<sup>o</sup> Argumentatur, quia de pertinentibus ad fidem est quod corpus Christi in sacramento altaris contineatur; assensus ergo quo quis credit in aliqua hostia quam videt sacerdotem aliquem consecrasse esse corpus Christi, est assensus fidei catholicae; et tamen illi potest subesse falsum, si sacerdos non habeat intentionem consecrandi, aut non erat baptizatus, quia tunc Christus non continetur sub speciebus; ergo fidei catholicae potest subesse falsum.

Ad primum horum dicendum est quod licet Christus post assensum fidei Abrahami potuerit non nasci in sensu diviso, quod satis est ad contingentiam obiecti quod habet ex natura rei, attamen in sensu composito non potuit, quia revelatio facta Abrahamo innititur scientiae divinae qua Deus non obstante fallibilitate quam futura contingentia habent ex natura rei, infallibiliter cognoscit an sint futura, infallibilitate proveniente ex perfectione et eminentia cognoscentis, non vero ex obiecto, ut 1 p., q. 14, art. 13<sup>53</sup> explicatum est. Atque hinc est quod sicut scientia divina de futuris contingentibus est infallibilis, ita et fides cui innititur, et quod sicut satis est

51. MOLINA, LUIS DE: *Adnotationes in II.II.*, f. 11r: ArchTeolGran 39 (1976) 234s.

52. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae*, II.II., q. 1, a. 3: Ed. Leonina, t. 8, Roma 1895, p. 12.

53. MOLINA, LUIS DE: *Commentaria in primam Divi Thomae partem*, q. 14, a. 13, disp. 14-17: ed. c., p. 209-231.



ad infallibilitatem scientiae divinae de futuris contingentibus quod non possint non esse in sensu composito, quatenus si aliter de facto esset eventurum (ut possunt non obstante scientia divina) non esset de illis talis scientia, ita ad infallibilitatem fidei de futuris contingentibus satisfit non posse non fore in sensu composito, quatenus si de facto non essent futura (ut potuit non esse negatio Petri quam prius Christus ei revelavit) non praecessisset de eis revelatio cui innititur fides [f. 107r].

Ad duo reliqua dicendum est conclusionem articuli intelligendam esse quoad assensus qui sunt pure et sunt proprie actus fidei catholicae, non vero quoad assensus qui derivantur a fide catholica mediante aliqua propositione subsumpta quae non est certa; tales namque assensus falsi esse possunt, non quatenus derivantur a fide, sed quatenus derivantur a propositione incerta. Qui tamen actus quatenus a fide derivantur imperanturque a voluntate captivante intellectum in obsequium fidei, meritum fidei habere possunt, etiam quando falsi sunt, sed bona fide et absque culpa creduntur veri. Atque de eorum numero sunt actus de quibus est sermo in illis duobus argumentis propositis. Licet enim Abrahamo et aliis patribus ac prophetis revelatum esset Christum in futurum esse nasciturum post tempora tamen illa quando incertum erat an esset impletum tempus illud, erat quidem de fide Christum aliquando nasci, non tamen quod nasceretur in futurum, sed solum probabiliter credebatur subsumpta hac propositione probabili, habitaque hac existimatione quod nondum esset impletum tempus in quo Christus erat nasciturus. Quemadmodum hodie quando incertum est an sit iam natus ante Christus, de fide est quod iuxta Scripturam veniet aliquando, non vero quod adhuc nascetur, sed solum probabiliter id creditur. Similiter licet de fide sit corpus Christi contineri in hostia rite consecrata, attamen quod contineatur in hac solum est opinio derivata a fide catholica mediante hac propositione atque existimatione probabili quod haec rite sit consecrata, quae tamen potest esse falsa vel sacerdote non habente intentionem consecrandi, non proferendo formam ut debuit, vel si non sit sacerdos quia non baptizatus vel quia finxit se sacerdotem, vel quia episcopus non habuit intentionem eum ordinandi aut aliis de causis. Ut [f. 107v] tamen probe notavit hoc loco Caietanus<sup>54</sup>,

54. CAYETANO [TOMÁS DE VÍO, O.P.], *Commentaria in Summan S. Thomae*, in II.II., q. 1, a. 3: Ed. Leonina (cfr. n. 52), p. 13.

quando aliunde non est probabilis coniectura hostiam non esse consecratam, sed res procedunt humano more atque secundum consuetum cursum, absolute et absque conditione hostia est adoranda, quia esto non esset consecrata, non esset idolatria formaliter, sed materialiter actusque pertineret ad virtutem religionis, quatenus adorans intendit adorare verum corpus Christi quod ibi credit esse, irrationabileque esset dubitare atque dubitando minuire propriam devotionem propter id quod raro posset evenire et de quo non est coniectura neque verisimilitudo aliqua tunc evenire. Idem servandum est in sacramentis suscipiendis aut administrandis, numquam enim conditio adhibenda est quando aliunde non est ratio dubitandi. Quae omnia consuetudo ipsa Ecclesiae confirmat.

#### Articulus 4 et 5.

#### Utrum obiectum fidei possit esse aliquid visum scientiaque et fides possint esse de eodem obiecto.

Quae hic dici poterant, dicta sunt l. 2, q. 67, art. 3 et 4<sup>55</sup>, et 1 p.,

55. MOLINA, LUIS DE, *Expositiones in I.II. divi Thomae*, q. 67, a. 3, 4 et 5: Lisboa, Biblioteca Nacional, Fundo Geral, cod. 2804, f. 226r-v: «Pro solutione argumentorum Durandi sciendum est hoc esse [f. 226r] discrimen inter habitum fidei infusae et caeteros habitus cognoscitivos acquisitos lumine naturali: quod alii habitus cum comparentur nostris actibus et extendantur ad diversas conclusiones per actus circa illas, vel sunt distincti numero circa distinctas conclusiones vel licet unus et idem respiciat plures, alia tamen sui parte inclinatur ad unam et alia ad aliam. Et in hoc omnes conveniunt. At habitus fidei, licet posset augeri secundum intensionem, attamen secundum se totum respicit omnes et singulas propositiones de quibus habetur fides. Neque enim credendum est Deum infundere unam partem fidei ad assentiendum uni propositioni et aliam ad assentiendum alteri, sed infundere unum habitum qui per se primo inclinatur ad assentiendum a se revelatis et secundario ad assentiendum huic vel illi propositioni revelatae. Et hac ratione Nominales licet asserant alios habitus cognoscitivos diversarum conclusionum esse plures qualitates, fidem tamen infusam dicant esse simplicem qualitatem respectu omnium quae creduntur.

Hinc licet colligere quod non (?) quemadmodum quando est habitus operativus plurium enuntiationum adveniente scientia aut evidentia circa unam amittitur aliquid habitus operativi id scilicet secundum quod inclinabat in illam enuntiationem, ita quando est fides infusa plurium enuntiationum adveniente scientia aut evidentia circa unam, amittitur aliquid fidei. Et ratio est, quia cum habitus fidei secundum se totum inclinatur ad singulas ut totus maneat, sat est si relinquatur una cuius non sit evidentia; in ordine enim ad illam manebit totus. Ad hoc ergo ut habitus fidei amittatur propter evidentiam requiritur evidentia omnium enuntiationum quarum est fides. [Ms añade un *qualis* tachado].

Hinc rursus sequitur aliud, videlicet quod cum scientia unius conclusionis tantum non destruat habitum fidei qui erat circa illam, poterunt ad eundem assensum concurrere simul habitus fidei et scientiae, ut de facto concurrunt

in philosopho christiano ad assensum scientificum huius: «Deus est», cui firmiter [f. 226v] adhaeret propter habitum fidei simul concurrente, quam adhaereat ethnicus philosophus. At cum habitus scientiae destruat id opinionis quod inclinabat ad eandem conclusionem non poterit concurrere simul cum eo habitus opinativus ad assensum eiusdem conclusionis.

Ad primum ergo Durandi amplectitur Caietanus solutionem quam impugnat Durandus. Attamen impugnatio Durandi legitima videtur profecto. Et ob id non tam probatur solutio haec a Capreolo, loco citato [In 3, d. 31]. Respondet ergo in primis non constare utrum Paulus viderit divinam essentiam cum multi contrarium teneant, nec sine probabilitate. Secundo, supposito quod viderit, ut Augustinus et Divus Thomas aiunt, respondet nullum esse inconveniens quod pro illo tunc caruerit habitu fidei, ut caruit actu. Potest etiam dici quod cum visio illa tam parum erat duratura et ille erat adhuc in via, qui status postulat illum habitum, Deus illum miraculose conservavit pro illo tunc; vel certe, quod mihi magis placet, quod cum probabile sit Paulum in illo raptu non habuisse evidentiam omnium omnium quae sunt de fide cum visione divinae essentiae potuit stare simul habitus fidei in ordine ad propositiones quarum non habebat evidentiam.

Ad secundum negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum quod amittet habitum fidei quoad id secundum quod inclinabat ad illam conclusionem licet possit retinere in ordine ad alias. Ex tali autem visione firmabitur ad deinceps magis ei credendum, non quasi per illam intendatur habitus fidei, sed quia illa utetur tanquam medio ad sibi persuadendum ut deinceps magis ei credat; quia probabile est quod quia ita verum dixit in hac, dicet etiam in aliis quae praedixerit.

Quaeret demum aliquis utrum hac in re sit aliquid quod sit fide tenendum. Ad quod respondeo duabus conclusionibus. Prima est: Quidquid dicat Durandus, quaestione illa quarta citata, erroneum est et certe plus quam temerarium et periculosum asserere in patria manere actum fidei aut spei virtutum infusarum. Probatur ex multis locis Scripturae, quos citat Capreolus. Ad Hebraeos enim 11 [v. 1] habetur: *fides est argumentum non apparentium*; quod maxime intelligendum est de actu fidei; sed in patria videbuntur [f. 227r] omnia quae hic fide tenentur; ergo in patria non actus fidei erit. 2.<sup>o</sup>: Paulus, 2 ad Corinthios 5 [v. 6s] ait: *dum sumus in corpore peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus et non per speciem*; sed qui sunt in patria non peregrinantur a Domino; ergo non habent actum fidei. Accedit Glossa super eundem locum dicens: qui per fidem ambulat nondum est in patria, sed in via. 3.<sup>o</sup>: 1 ad Corinthios 13 [v. 11ss], cum praemisisset Paulus [v. 8]: *charitas nunquam excidit*, aperte subiungit fidem qua videmus nunc in aenigmate evacuandam esse. Et concludit caput dicens [v. 13]: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec*; quasi diceret: in patria non manebunt; quod maxime intelligendum est de actibus. Et addit [ib.]: *maior autem horum est charitas*, de qua scilicet dictum est quod manebit. Et de spe ait Paulus ad Romanos 8 [v. 24]: *Spes quae videtur, id est eius quod videtur, id est eius quod videtur, non est spes, illud scilicet videndi; et reddit rationem dicens: Nam quod videt quis quid sperat? se scilicet visurum*. Eadem conclusio habetur tertio tomo Conciliorum [p. 850 a] in Interreligione, edita sub Carolo V, cap. 7.

Secunda conclusio. Quidquid dicatur a Capreolo contra Durandum, loco citato, quaestione illa quarta citata, non videtur de fide habitus fidei et spei non manere in patria. Est tamen magis consonum Scripturae sacrae. Prima pars probatur, quia omnia loca citata exponi possunt quod loquantur de actibus solum. Posterior vero pars probatur ex eiusdem locis, qui de habitibus etiam videntur idem sonare. »

q. 1, art. 1, disp. 1 et art. 2<sup>56</sup>; ac 1.<sup>o</sup> Posteriorum, cap. 36, q. 1 et 2<sup>57</sup>. Quare solum expediemus quaedam dubia quae his articulis tanguntur a D. Thoma.

**Utrum ad assentiendum per fidem catholicam requiratur  
imperium atque electio voluntatis qua eligit assentiri,  
an vero sufficiant motiva ad credendum quae se  
offerunt intellectui.**

**Disputatio 1.**

D. Thomas, hoc loco, art. 4<sup>58</sup>, affirmat non solum ad actum fidei catholicae, sed etiam ac actum opinionis, et in universum quando non est evidentia ex parte intellectus [f. 108r] requiri imperium et electionem voluntatis ad assensum intellectus, neque sufficere motiva ad assentiendum, quae se offerunt ex parte intellectus; cui Holkot in 1, q. 1<sup>59</sup> repugnat dicens sufficere auctoritatem aut rationem sine imperio voluntatis.

Amplectenda est nihilominus opinio Divi Thomae intellecta tamen, ut eam intelligit Soto, 1 Posteriorum, cap. 26, q. 7<sup>60</sup>, Vega lib. 6 super concil. cap. 8 et 14<sup>61</sup> ac alii. Exemplum fiat: Nuntiatur mors patris absentis, licet filius neque velit id esse verum neque assentiri, est tamen in potestate ipsius id sibi non persuadere propter auctoritatem subiectivam, esto mors habeat evidentiam; quemadmodum in potestate mea est mihi non persuadere Turcam a Ioanne Austriae navali bello annis praeteritis fuisse devictum, aut Romam esse, licet neutrum sit evidens. Tam vehementia enim possunt esse motiva vel ad opinionem vel ad fidem humanam generandam nulla se efferente facultate atque motivo pro parte opposita, ut esto non sit evidentia, liberum non sit assentiri aut dissentiri. sed necessite-

56. MOLINA, LUIS DE, *Commentaria in primam Divi Thomae partem*, q. 1, a. 1, disp. 1: ed. c., p. 2ss; q. 1, a. 2: ib., p. 8-14.

57. MOLINA, LUIS DE, *Annotaciones in Analytica posteriora*, c. 36, q. 1 et 2: Biblioteca Pública de Evora, MS 118-1-6, f. 252r-315r.

58. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologica*, II.II., q. 1, a. 4: Ed. Leonina, t. 8, p. 13s.

59. HOLKOT [HOLCHOT, OLCOTH], ROBERTO, O.P., *Super quattuor libros Sententiarum quaestiones*, In 1, q. 1: Lyon 1510, f. 2v-3v (a II-a III).

60. SOTO, DOMINGO, O.P., *In Dialecticam Aristotelis commentarii*, in libros Posteriorum, l. 1, q. 7, c. 26: Salamanca 1564, f. 125 r-v.

61. VEGA, ANDRÉS, O.F.M., *De iustificatione doctrina universa*, l. 6, c. 8 y 14: Colonia 1572, f. 84s y 91s.

tur intellectus ad credendum vel ad assentiendum stantibus motivis ad credendum. At vero quando obiectum est supernaturale et ex se non facile creditur ut sunt illa quae sunt fidei catholicae vel non sunt vehementia motiva offeruntque se difficultates atque motiva pro aliqua parte, ut plurimum contingere solet ubi non est evidens ratio, tunc intellectus etiam propositis motivis non necessitatur [f. 108v] ad assensum, sed indiget determinari per imperium atque electionem voluntatis, ut hic ait D. Thomas. Quare cum voluntas facilius imperet ad id quod est magis propensa imperetque intellectui ut quaerat motiva potius pro illa parte, quam pro alia affectioque obnubilet iudicium rationis, fit ut opiniones saepe plus pendeant ab affectione voluntatis quam a motivo intellectus, atque hinc sectae Philosophorum et Theologorum originem habuerunt; unusquisque enim ut plurimum sequitur opiniones eius ad quem est magis affectus et quas plus optat esse veras.

Probatur vero opinio quod attinet ad fidem catholicam primo, experientia ipsa, qua quivis id in se ipso experitur.

2.<sup>o</sup>, quia credere est actus oboedientiae et meriti, iuxta illud Rom. 1<sup>62</sup>: *per quem accepimus gratiam et apostolatam ad oboediendum fidei*, vel ut homines oboediant fidei. Praeterea, de fide acceptandum est praeceptum; cum ergo oboedientia voluntatis sit, et meritum atque praeceptum in his cernantur quae in facultate sunt nostri liberi arbitrii, fit ut a libero arbitrio atque imperio voluntatis pendeat assensus fidei.

3.<sup>o</sup>, quia audita eadem doctrina et visis eisdem miraculis quidam non conducebantur ad fidem et quidam convertebantur, de quibus Christus dicebat: *Nunc autem excusationem non habent* [f. 109r] *de peccato suo*<sup>63</sup>; ergo in potestate ipsorum erat visis miraculis et audita doctrina Christi, non assentiri eidem, et non assentiebantur, et assentiri; aliter si non esset in potestate ipsorum assentiri, non peccarent. Confirmatur praeterea, ex illo ad Rom 10<sup>64</sup>: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem*. Et ex illo Augustini, sermone 5 in Ioannem<sup>65</sup>; cetera potes, credere non nisi volens. Accedit illud Concilii Tridentini, sessio-

62. Rom 1, 5.

63. Jn 15, 22.

64. Rom 10, 21.

65. AUGUSTINUS, *Sermones in Ioannem*, 1: [No hemos podido verificar esta cita, ni en los Tractatus in Ioannem, ni en los Sermones].

ne 6, capite 6<sup>66</sup>, disponuntur ad gratiam dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu accipientes, libere moventur, credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt.

Illud advertit adversus Occham in 2, d. 25<sup>67</sup>, solum imperium voluntatis sine motivo intellectus non sufficere ad assensum elicendum. Assentiri namque non possumus an credendo paria sint vel imparia, eo quod pro neutra parte sint motiva sufficientia ex parte intellectus. Illud etiam adversus eos qui donum sapientiae ceteraque dona Spiritus Sancti non utcumque sed maxima quadam abundantia acceperunt quibusque Deus mirum in modum revelavit oculos ad considerandum mirabilia de lege sua et de mysteriis sanctissimae fidei nostrae a quorum fide firmati experientia interna familiaritatis ad unionem cum Deo benigne admittuntur, atque illustrati luce qua a Deo illustrantur, et charitatis qua incenduntur ut non magis in potestate eorum sit dubitare de veritate fidei catholicae, quam in potestate mea sit dubitare an Roma sit. Quare in huiusmodi saltem (dum Deus non avertit faciem suam ab eis, neque excluduntur a charitate Domini) sat videntur esse motiva interna [f. 109v] et externa quae habent ex parte intellectus ad elicendum assensum fidei, neque ut esse necessarium imperium voluntatis.

### Utrum de rebus fidei habeamus evidentiam quod sint credibilia seu credenda.

#### Disputatio 2.

D. Thomas, art. 4 ad 2 et art. 5 ad 1<sup>68</sup>, affirmat quod licet non habeamus evidentiam de his quae fide tenemus quod vera sint in se, habemus tamen evidentiam quod sint credibilia, ita scilicet quod licet inevidens sit credenti Deum esse trinum et unum, est tamen ei evidens quod sit credendum. Nam, inquit, non crederet nisi videret esse credendum, aut propter evidentiam rerum aut propter aliquid aliud huiusmodi. Et in responsione ad 1 art. 5, inquit per lumen fidei nos videre ea quae sunt fidei esse credenda. Iuxta hanc doctrinam interpretatur illud 1 Cor 13<sup>69</sup>: *videmus nunc per*

66. *Concilium Tridentinum*, sess. 6, c. 6: DS<sup>94</sup> 1526.

67. OCKAM, GUILLIELMUS, *Super quatuor libros Sententiarum annotationes*, libri secundi, q. 25: Lyon 1495, f. I iii.

68. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologica*, II.II., q. 1, a. 4 ad 2: Ed. Leonina, t. 8, 14b; a. 5, ad 1: ib., 17a.

69. 1 Cor 13, 12.

*speculum in aenigmate*, quod revera videamus, id est evidenter cognoscamus ea quae sunt fidei, non quidem quod sint vera in se, sed quod sint credenda.

Doctrina haec D. Thomae non est admodum certa. In primis, in illo loco Pauli "videre" iuxta communem expositionem sanctorum non sumitur pro eo quod est evidenter cognoscere, sed pro eo quod est cognoscere; constituit enim discrimen inter cognitionem quam de Deo hic habemus per fidem et quam habemus in patria, quod una sit obscura et inevidens, alia vero clara, unde inquit, videmus, id est, cognoscimus nunc per speculum in aenigmate [f. 110r] id est, obscuritate fidei, tunc autem facie ad faciem; unde non videtur verum quod id quod credimus fide catholica sit nobis evidens esse credendum fide catholica. Inde enim sequeretur esse nobis evidens esse verum in se, quod non est admittendum cum de evidentibus in se non possit esse fides. Sequela probatur, quia licet ex eo quod aliquid fide humana sit credendum non sequatur esse verum, quia fidei humanae potest subesse falsum, attamen ex eo quod sit credendum fide catholica, optime sequitur esse verum quemadmodum ex eo quod aliquid sit scibile optime sequitur esse verum, quia sicut scientiae repugnat subesse falsum, sic etiam et fidei catholicae. Quare si evidens nobis esset ea quae fide tenemus credenda esse fide catholica, cum ex eo quod aliquid sit credendum fide catholica necessaria atque evidenti consequentia sequatur illud<sup>e</sup> verum esse, utique evidens nobis esset illa quae tenemus fide catholica esse vera in se, quia evidenter assentitur antecedenti et consequentiae necessario evidenter etiam assentitur consequenti; atque hunc nodum non diluit hoc loco Caietanus.

Praeterea ita argumentatur adversus Divum Thomam: Cognitionis qua quis sibi persuadet ea quae sibi proponuntur credenda fide catholica et tamquam revelata a Deo esse revera credibilia atque digna ut credantur, antecedit assensum fidei catholicae; inde enim movetur homo ad credendum fide catholica, ut D. Thomas ait in illa responsione ad 2. Sed fides catholica in adulto non antecedit primum assensum fidei; ergo cognitio illa non [f. 110v] est a fide catholica, ut videtur affirmare D. Thomas in responsione ad primum, art. 5. Et confirmatur, quia cum assensus ille sit evidens apud

e. MS: illud esse verum esse...

Divum Thomam, fides catholica omnino inevidens in se, eliceret actum sibi proprium evidentem, quod repugnat. Adde quod cum etiam eliciat actus inevidentes, actus vero evidens et inevidens specie distinguantur, ab eodem habitu essent actus specie distincti, quod non est admittendum.

Dicendum itaque est de credibilibus nos non habere evidentiam quod sint credenda fide catholica, sed si aliquam evidentiam habemus solum esse quod sint digna quae credantur, non curando utrum fide catholica an alia fide, atque hanc evidentiam non provenire ab habitu fidei catholicae, sed ab examine, penetratione ac pondere motivorum quae sunt ad credendum. Quare non immerito Vega, de iustificatione et gratia, q. 9 ad ultimum<sup>70</sup> dixit, studium Theologiae comparari, quatenus scilicet ad Theologiam pertinet investigare, proponere et docere huiusmodi motiva; non est tamen negandum aliis etiam viis comparari. Dicendum est praeterea nec omnes habere eiusmodi evidentiam, sed solum eos qui iudicio pollent, nec lenes sunt in credendo, sed ducuntur sufficientibus motivis quae revera reddunt res credendas verisimiles, dignasque quae credantur, id quod notavit Caietanus hoc loco<sup>71</sup> et notarunt alii. In adultis autem qui primo convertuntur ad fidem hunc assensum quod ea quae sibi proponuntur credenda tamquam revelata a Deo, revera digna sint quod ut talia credantur, propter motiva quae id suadent, videtur primo sequi assensus ille fidei humanae, quod sint revelata a Deo, de quo art. 1, disp. 2<sup>72</sup> loquuti sumus atque hunc [f. 111r] videtur ulterius sequi assensus fidei catholicae quo illis assentitur tamquam rebus revelatis atque propter revelationem tamquam propter rationem credendi, ut ibidem explicatum est.

Quod si quis contendat Divum Thomam non illud quod impugnavimus, sed hoc quod ultimo loco dixi contendisse ea de re, non disceptabo, cum minimum hactenus dicta inserviant, ut quod in re ipsa visum sit intelligatur.

70. VEGA, ANDRÉS, O.F.M., *De iustificatione et gratia*, q. 9, ad ultimum: Colonia 1572, p. 836.

71. CAIETANUS, *Commentaria in II.II.*, q. 1, a. 4: Ed. Leonina, t. 8, p. 14ss.

72. MOLINA, LUIS DE, *Annotationes in II.II.*, q. 1, a. 1, disp. 2, concl. 2.<sup>a</sup> et 3.<sup>a</sup>: ArchTeolGran 39 (1976) 245-250.



### Articulus 6.

#### Utrum credibilia sint per certos articulos distinguenda.

Quod latine articulus dicitur, graece dicitur esbrot, ab esbrio, quod est coopto et coniungo. Unde articulus inter alias significatio-nes tam graece quam latine significat coniuncturam atque no- dum, in quo membrum membro coniungitur et copulatur, caretque incisione diversarum partium. Quare digitus non est articulus, quia habet incisiones, contatque partibus iuncturis copulatis, singulae vero partes quoae ad invicem coniuncturis copulantur ac nervis colliguntur ad invicem colligatae articulus dicuntur; ita per meta- phoram partes in quas Sancti Patres obiectum fidei aut certe sum- mam fidei, quam Ecclesia omnibus fidelibus sciendam atque expli- cite credendam proponit, dividerunt, articuli fidei dicuntur. Qui autem hi sint in particulari patebit art. 8. Non desunt grammatici qui affirmant articulum latine derivari ab artu, esseque nomen denominativum, iuxta quod soli artus parvi articuli dicuntur.

Illud est advertendum ne quis decipiatur, interdum a doctori- bus nomine articuli fidei intelligi quamcumque [f. 111v] partem obiecti, interdum vero solas illas partes, in quas sancti Patres sum- mam fidei, quam Apostoli et Ecclesia omnibus fidelibus sciendam atque explicite credendam proposuerunt, dividerunt. In qua accep- tione quod Christus v. g. pendens in cruce dixerit latroni, *hodie mecum eris in paradiso*<sup>73</sup>, non est articulus fidei, licet sit in priori qui multo amplior est; in qua videtur sumere D. Thomas articulum fidei in sequentibus, et alibi.

### Articulus 7.

#### Utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint.

Prima conclusio est. Non solum fides semper fuit eadem quate- nus eiusdem rationis et speciei fuit in prioribus et in nobis, sed etiam ex parte obiecti quodammodo semper fuit eadem, quatenus omnia quae nos explicite credimus, priores saltem implicite credi-

73. Lc 23, 43.

uerunt. Quare si sit sermo de his quae priores implicite vel explicite crediderunt, articuli fidei non creverunt secundum successionem temporum. Hanc ita deducit D. Thomas. Sicut in primis principiis scientiarum naturalium cernitur quidam ordo, quod quaedam in aliis (quae dignitates ab Aristotele appellantur) implicite continentur, ut in hoc, de quolibet verum est affirmare vel negare, virtute atque implicite cetera continentur, ita inter ea quae sunt fidei quaedam in aliis (quae sunt quasi dignitates et prima credibilia) implicite continentur ut in his duobus (quorum fides semper fuit in orbe quorum meminit Paulus ad Hebr. 11<sup>74</sup>) Deum esse et inquirentibus se esse remuneratorem (quibus adde textum de fide [f. 112r] peccati et de remedio futuro eius semper fuit etiam notitia et fides in orbe) continentur implicite omnia quae explicite postea revelata sunt. In fide enim huius quod est Deum esse implicite continetur fides omnium quae Deo ad intra et ex natura rei conveniunt, ut fides trinitatis etc. In fide vero huius quod est Deum inquirentium se remuneratorem esse, habereque providentiam circa perducendos homines in vitam aeternam adhibiturumque remedium contra peccata, virtute continetur fides omnium quae postea facta sunt ut homines in vitam aeternam perducerentur. Quare omnia quae postea explicite revelata sunt (maxime quae pertinent ad subiectum fidei) patres priores qui a lapsu Aadae fuerunt, crediderunt implicite.

2.<sup>o</sup> conclusio. Articuli fidei creverunt successione temporis quoad explicatam revelationem eorum; successu namque temporis in singulis aetatibus mundi semper plura Deus explicite revelavit toti Ecclesiae, et quo homines plus ad adventum Christi, veri solis iustitiae, accedebant, eo plus illuminabantur pluraque illis explicite revelabantur. Solutiones argumentorum Divi Thomae apertae sunt, et circa illas sat sunt quae dicuntur a Caietano.

### Articuli 8 et 9.

#### De variis symbolis fidei.

##### Disputatio 1.

Licet alium ordinem servet D. Thomas a Symbolo tamen ordiendum duxi. Tradunt B. Clemens, epistola 1 ad Iacobum<sup>75</sup> in 1.<sup>o</sup> tomo

74. Heb 11, 6.

75. PSEUDOCLEMENS, *Epistola 1 ad Iacobum, fratrem Domini*: PG 1, 472 D-473 B.

conciliorum, et Rufinus in expositione Symboli <sup>76</sup> quae in operibus Cypriani sub nomine Cypriani, et in 4 tomo Hieronymi sub nomine Rufini circumfertur, et plures alii, Apostolos post acceptum Spiritum Sanctum antequam ab in[f. 112v]vicem discederent, summam quandam fidei composuisse collatione facta ad invicem, et singulis dicentibus quod addendum esset. Eo vero consilio eam composuisse in primis ut conformes essent in substantia fidei docenda, nullaque esset discrepantia hac in parte inter omnes Christi fideles per totum orbem dispersos. Deinde vero ut quando omnes fideles (scilicet quod plures ingenio careant vel quod aliis negotiis sint occupati) scire non poterant omnia quae sanctissimae fidei nostrae sunt, singuli tamen scirent summam hanc brevem in qua praecipua continentur, in cuiusque confessione ab infidelibus distinguerentur. Summa haec non immerito Symbolum vocablo graeco dicta est; symbolum enim graece, ut praedicti autores dicunt, inter alia et collectionem significat et signum, unde signa atque notae quibus in bello milites dignoscuntur, quis sub quo duce militet, symbola nuncupantur. Quia ergo summa haec conferentibus variis Apostolis varias sententias fidei in unum ceterisque approbantibus facta est, symbolum est dicta, ut Augustinus cum praedictis patribus, tomo 10, sermone 115 <sup>77</sup> affirmat. Dicta est etiam symbolum, ut alii affirmant, quia est quasi signum quo fideles eam profitentes dignoscuntur et ab aliis qui de Ecclesia non sunt et sub Christo non militant, distinguuntur. Alii volunt dici etiam symbolum quia est id in quo fideles conveniunt; elementa namque quae in prima aliqua qualitate conveniunt, symbolica ab Aristotele nuncupantur <sup>78</sup>.

Summam hanc quae Symbolum Apostolorum communiter ab Ecclesia dicitur, ab ipsismet Apostolis fuisse compositam testatur in primis Clemens, Petri discipulus <sup>79</sup>, Augustinus <sup>80</sup>, Ru[f. 113r]finus <sup>81</sup> et Cyprianus <sup>82</sup> locis citatis. Deinde Leo I, epistola ad Pulcheriam Augustam <sup>82</sup> 1.º tomo conciliorum, Ambrosius, tomo 3, serm. 18 de

76. RUFINUS. *Commentarium Symboli*. II: PL 21, 337 A-B.

77. PSEUDOAGUSTINUS. *Sermo 240*: PL 39, 2189.

78. ARISTOTELES. Puede referirse al libro *De interpretatione* (Periermenias), c. 1 y 14: Ed. G. Verbeke, Aristoteles latinus, Desclée 1965, p. 41, 4 y 61, 25. O al libro *De generatione animalium*, 1, 18: Ed. H. J. Drossaert Lulofs, Desclée 1966, p. 20.

79. Véase la nota 75.

80. Véase la nota 77.

81. Véase la nota 76.

82. LEO I, *Epistola ad Pulcheriam Augustam*: PL 54, 796 B.

ieiunio quadragesimae<sup>83</sup>, Hieronymus, in epistola adversus haereses<sup>84</sup>, Ioannis episcopus hierosolymitanus<sup>85</sup> et plures alii. Et loquuntur tamquam de traditione in Ecclesia Dei. Nescio ergo unde temeritas Erasmi in quodam prologo, in Hieronymum<sup>86</sup> somniavit non esse compositam ab Apostolis. Tertullianus etiam in libro adversus Praexeam<sup>87</sup> inquit: Regulam fidei, id est, symbolum traditum esse Ecclesiae a principio Evangelii; ubi idem quod ceteri patres innuere videtur. Communiter ergo dicitur symbolum editum fuisse ante conversionem Pauli, et neque ipsum neque Barnabam interfuisse compositioni illius, sed duodecim dumtaxat Apostolos. Dices: si ab Apostolis fuit compositum, est igitur scriptura sacra? Dicendum est parem quidem habere auctoritatem cum Scriptura Sacra, non tamen appellari Scripturam, quia potius per modum traditionis viva voce memoriae a fidelibus mandaretur quam per modum Scripturae traditum, ut Hieronymus ait loco citato<sup>88</sup>.

Utrum autem singuli Apostoli singulas sententias dixerint ex quibus constat Symbolum, licet quidam irrideant partem affirmativam tamquam vulgi opinionem, attamen longe probabilior est quam opposita estque amplectenda, quia praeter communem vulgi opinionem quae originem aliquam habuit et in materia traditionum non est contemnenda, Augustinus, sermone illo 115<sup>89</sup>, id affirmat et recitat in particulari quatenus sit sententia et pars Symboli quae ab unoquoque dicta est. Et in eadem sententia videtur esse

83. AMBROSIUS, *Sermo 33 de ieiuniis Quadragesimae*, 17: PL 17, 693 B-C.

84. HIERONYMUS, *Contra Ioannem Hierosolymitanum ad Pammachium liber unus*, 28: PL 23, 396 D.

85. Ioannes, episcopus Hierosolymitanus. No hemos podido encontrar en los pequeños fragmentos que conocemos de la obra de Juan obispo de Jerusalén (recogidos por C. P. CASPARI, *Ungezeichnete, unbechlete und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel*, Christiania 1866, I, 161-212), ningún texto en el que afirme que los Apóstoles son los autores del Símbolo apostólico. Probablemente se basó Molina en la cita de Jerónimo (cfr. nota anterior, 84), dando por supuesto que Juan de Jerusalén no dudaba de que el Símbolo de los Apóstoles fuera de ellos. Pero la confesión de fe bautismal que conocemos como de Juan de Jerusalén, dista bastante del Símbolo apostólico (cfr. CASPARI, o. c., p. 185s en su versión siríaca; en las pp. 186-190 en la traducción alemana).

86. DESIDERIUS ERASMUS ROT., *Apologia adversus articulos aliquot, per monachos quosdam in Hispaniis exhibitos*, Responsio ad obiect. 64: Opera omnia, t. 9, Lyon 1706, 1080 C-D.—Más claramente aún, en: *Ad Exhortationem cl. doctissimique Comitis Alberti Pii... Responsio*: ib., 1169ss.

87. TERTULLIANUS, *Adversus Praeaeam*, c. 2, 2: CChr 2, 1160, 17-19: «Hanc regulam ab initio evangelii decurrerit...».

88. Véase la nota 84.

89. Véase la nota 77.

Leo I, epistola illa citata <sup>90</sup>, ubi [f. 113v] ita inquit: ipsius catholici Symboli brevis et perfecta confessio duodecim Apostolorum, totidem est signata sententiis. Ad eandem sententiam accedere videntur Clemens et Rufinus locis citatis <sup>91</sup> et eam amplectuntur plures scholasticorum, de quorum numero sunt D. Thomas <sup>92</sup>, D. Bonaventura <sup>93</sup>, Ricardus <sup>94</sup>, Gabriel <sup>95</sup> et Argentina <sup>96</sup> omnes in 3 quidam d. 23, quidam 24 et quidam 25. Conveniunt hi omnes non singulos Apostolos singulos articulos protulisse, sed quosdam dixisse quae pertinent ad plures articulos, quosdam vero dixisse tantum partem unius articuli. In assignandis vero partibus in particulari quas singuli dixerunt discrepantia aliqua inter doctores invenitur, neque est aliquid certum; sequeretur tamen assignationem Augustini in illo sermone citato, propter Augustini auctoritatem et antiquitatem. Haec de Symbolo Apostolorum.

Est et aliud alterum Symbolum fidei quod diebus dominicis et in aliis festis solemnibus canitur in Missis, continetque eandem substantiam fidei cum Symbolo Apostolorum, sed magis explicatam propter haereses quae successu temporis surrexerunt. Appellatur autem communiter Symbolum Nicaenum <sup>97</sup>, propterea quod magna pars eorum quae in illo apposita sunt ad explicationem symboli Apostolorum in Nicaena Synodo definita sunt. Editum tamen est fere ut hodie canitur in Missa a concilio Constantinopolitano 1.<sup>o</sup>, qua ratione symbolum etiam constantinopolitanum appellatur a concilio Florentino in instructione Armenorum <sup>98</sup>, idemque concilium sessione 5, Ferrariae habita, rationem reddit quare communiter Nicaenum symbolum dicatur <sup>99</sup>.

90. Véase la nota 82.

91. Véanse las notas 75 y 76.

92. THOMAS AQUINAS. In 3 *Sententiarum*. d. 25, a. 2: Ed. Vivès, t. 9, 388 a.

93. BONAVENTURA. *Commentaria in IV Sententiarum libros*. 25, a. 1: Ed. Quaracchi, 3, 535 b.

94. RICHARDUS A MEDIAVILLA. O. M., *Scriptum super tertium Sententiarum*, d. 25, a. 2, q. 1: Brixiae 1591, p. 275 b.

95. GABRIEL BIEL. *Epitome et Collectorium in IV Sententiarum libros*, In 3, d. 25, q. un., a. 1, not. 1: Lyon 1514 s. f.

96. THOMAS DE ARGENTINA [Tomás de Strasburgo], *Commentaria in IIII libros Sententiarum*, In 3, d. 24 et 25, a. 3: Ginebra 1585, p. 2, f. 41r a.

97. *Symbolum Niceno-Constantinopolitanum*: DS<sup>24</sup> 150.

98. *Concilium Florentinum*, Instructio pro Armenis: COeD (=Conciliorum Oecumenicorum Decreta, Bolonia 1973) 556, 11-15.

99. *Concilium Florentinum*, sess. 5: Ed. Gill, pars I, p. 112ss.

Tertium symbolum fidei Athanasii symbolum dicitur <sup>100</sup>, eo quod [f. 114r] ab Athanasio collectum sit ex definitionibus Ecclesiae; ab Ecclesia tamen est approbatum atque ab ea auctoritatem habet recitaturque in Prima diebus dominicis; continet vero sententias quasdam fidei circa unitatem essentiae, trinitatem, aequalitatem et processiones Personarum, atque circa mysterium Incarnationis, adversus haereses exortas. Porro hoc et praecedens symbolum cum minimum eatenus symbola dicuntur quod sint tamquam signa quaedam et notae quarum professione fideles ab haereticis, quarum res ibi damnantur, dignoscuntur.

**Utrum recte colligatur numerus articulorum summae fidei,  
recteque in ea ab Apostolis fuerint dispositi.**

### Disputatio 2.

Quod attinet ad primum eorum quae in titulo proponuntur hac ratione quatuordenarius numerus articulorum summae fidei colligitur. Articulorum enim quidam respiciunt Deum: quoad naturam sibi propriam, et quidam quoad naturam assumptam qua Verbum Divinum factum est homo. In Deo autem quoad sibi propria tria licet considerare; naturam, personam et operationem ad extra sibi propriam; quae triplex est iuxta triplex genus esse quod confert, scilicet, naturae, gratiae et gloriae. Iuxta haec ergo septem articuli colliguntur qui ob id ad divinitatem pertinere dici consueverunt, quod Deo quoad sibi propria et non ratione humanitatis conveniant. Primus pertinet ad unitatem essentiae, quo, credimus esse unum tantum Deum cum caeteris attributis. Tres sequentes ad trinitatem personarum pertinent, quibus cre[f. 114v]dimus hunc unum Deum esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum Sanctum; tres vero reliqui pertinent ad operationes ad extra liberis ac proprias Deo, quibus credimus esse creatorem, esse iustificatorem, atque esse glorificatorem. Totidem respiciunt Deum quoad naturam assumptam, pertinentque ad Christum ratione humanitatis. 1.<sup>us</sup> quod Christus opere Spiritus Sancti fuerit conceptus Verbo Divino carnem atque naturam humanam opere Spiritus Sancti fabricatam assumente. 2.<sup>us</sup> quod fuerit natus de Virgine quae post partum virgo perman-

100. *Symbolum PseudoAthanasianum*: DS<sup>34</sup> 75s.

sit. 3.<sup>us</sup> quod crucifixus, mortuus, atque sepultus fuerit, quae tria quod eandem contineant difficultatem, in unum articulum adunantur, 4.<sup>us</sup> quod ad inferos descenderit ad animas sanctorum eruendas. 5.<sup>us</sup> quod resurrexit tertia die. 6.<sup>us</sup> quod ad coelos ascenderit sedeatque ad dexteram Patris. Et. 7.<sup>us</sup> quod in fine saeculi venturus inde sit at iudicandos vivos et mortuos.

Quidam duodecim tantum articulos esse voluerunt, sex prioris generis et totidem posterioris. Nam tres articulos, quibus sigillatim tres personas divinas confitemur, in unum coniunxerunt, et septimus prioris generis de opere glorificationis in duos diviserunt, quorum alter esset de resurrectione mortuorum futura, alter vero de gloria corporis et animae iustorum. Duos item illos posterioris generis de conceptione et nativitate Christi coniunxerunt in unum. Prior tamen collectio, ut communis est, ita magis placet; manifeste namque Apostoli in Symbolo confessionis diversarum personarum in varios articulos diviserunt; resurrectio autem mortuorum preambula est ad gloriam et praemium integrum beatorum [f. 115r], et propterea cum fide de praemio futuro merito coniungitur. Quod et Christus opere Spiritus Sancti fuerit conceptus, et de Virgine fuerit natus diversas difficultates continet, et ob id merito in duos articulos dividuntur. Haec de primo eorum quae in titulo proponuntur.

Quod attinet ad secundum sciendum est Apostolos alio ordine ac eos proxime collegimus, disposuisse articulos in Symbolo, convenientissimo tamen. Intendentes namque eos disponere uno ductu orationis quo melius memoria retinerentur atque per modum eiusdem confessionis fidei eo ordine eos disposuerunt, ut primo ponerent articulos unitatis essentiae, dicentes Credo in Deum; Patres vero in symbolo concilii Niceni ad maiorem explicationem atque ad excludendum errorem Manichaei ponentis duo principia. alterum boni et alterum mali. et ut simul, obviarent errori Arii. addiderunt particulam, unum, dicentes, Credo in unum Deum. Post primum articulum Apostoli in Symbolo posuerunt per ordinem confessiones singularum personarum divinarum, servantes ordinem originis quem habent inter se, atque post confessionem cuiusque Personae, addentes articulum qui ad eam pertinet, eive appropriatur; et quoniam Patri potentia appropriatur, et ratione potentiae opus creationis, addiderunt Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Merito autem ex omnibus attributis omnipotentiae mentio

expressa facta est, idque statim in principio Symboli, quoniam si ante oculos habeatur omnipotentia Dei, ad quam metienda sunt ea quae sunt fidei catholicae, non erit difficile assensum praebere caeteris quae in Symbolo sequuntur; fides namque om[ni]nipotentiae Dei quasi aditum aperit et caliginem discutit in ordine ad reliqua credenda.

Post confessionem Patris additur confessio Personae Filii, addunturque septem articuli ad Personam Filii ratione humanitatis pertinentes; unde dicitur: Et in Iesumchristum, filium eius unicum, etc. Cum autem de Christo confiteamur Filium Dei esse, atque conceptum et natum de Maria virgine, simul confitemur esse verum Deum a Patre genitum, et esse verum hominem, Filioque Dei per mysterium Incarnationis unitam esse carnem atque naturam humanam qua factus sit homo.

Post confessionem Filii et articulorum qui fidei ratione humanitatis conveniunt, additur confessio Personae Spiritus Sancti, et duorum articulorum qui Spiritui Sancto appropriantur, iustificationis scilicet atque glorificationis, quorum principium est divina bonitas, quae Spiritui Sancto appropriatur, vel certe glorificatio tamquam praemium et finis ad quem tota confessio fidei ordinatur; in ultimum locum reservata est, confessio horum trium articulorum. Incipit ab eo loco: Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Ponenda sunt tamen verba illa, Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, quae ad articulum iustificationis pertinent.

Post confessionem Spiritus Sancti addiderunt Apostoli: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, id est, universalem, quia regimen et gubernatio illius Spiritui Sancto tribuitur et appropriatur. Porro, in hac confessione reliqua quae sunt fidei continentur. Omnibus enim assentimur cum huic parti Symboli assentimur. Remiserunt namque nos Apostoli in reliquis veritatibus fidei, quae in hac summa non sunt expressa ad Ecclesiam Catholicam, tamquam ad columnam et firmamentum veritatis, quia in discernendis, amplectendis et proponendis reliquis errare nullo modo potest. Praeterea in principio articuli ius[tificationis] praemiserunt: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, ut docerent extra Ecclesiam non esse iustificationem, ac remissionem peccatorum neminemque in Ecclesia triumphante vita aeterna potiturum, nisi qui in hac vita membrum fuerit Ecclesiae militantis. Quare extra hanc Ecclesiam sanc-



titas non est, a praecipua vero parte ipsius, iustis videlicet qui in ea sunt, Sancta dicitur, non quod in ea non sint multi mali et peccatores. Verum de hac re latius art. 10, ubi alias rationes subiiciemus quare Sancta dicatur.

Additur "sanctorum communionem". Communio sanctorum hoc est fidelium ex quibus coalescit haec Ecclesia, est in primis in eadem fide, deinde in orationibus atque meritis aliorum. In oratione namque dominica ex institutione Christi omnibus petimus. Dicimus enim: Panem nostrum da nobis, hoc est, mihi et aliis, et dimitte nobis debita nostra, etc. Idem facimus in salutatione angelica et in aliis orationibus. Ministri etiam Ecclesiae preces universales fundunt propter quas nunc corpus Ecclesiae protegitur, conservatur, recipitque nostra dona a Deo; quare orationes et merita iustorum aliis etiam prosunt. Propter decem enim iustos dicebat Deus se non deleturum Sodomam et Gomorram. Praeterea item visitat Deus iniquitates patrum in filios in tertiam et quartam generationem, ita facit misericordiam in millia propter eos qui diligunt illum, et custodiunt praecepta eius, ut habet Exodus 20<sup>101</sup>. Quoties enim propter David iam ante defunctum protexit Deus Ierosolimam? Et propter Abraham, Isaac et Iacob non delevit filios Israel peccatores? Adde quod satisfactiones sanctorum quae ipsis necessariae non sunt in thesauro Ecclesiae conservantur et distribuuntur [f. 116v] per vicarium Christi, atque aliis prosunt. Propter quae omnia Regius Propheta cernens communionem hanc fidelium in bonis aliorum, dixit<sup>102</sup>: *Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua*. Est praeterea communio fidelium in participatione sacramentorum quibus fit remissio peccatorum atque iustificatio. Quare fides sacramentorum in hoc articulo continetur, et ob id patres in symbolo concilii Niceni<sup>103</sup> adversus errorem eorum qui dicebant iterandum esse baptismum, postquam dixerunt: et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, addiderunt: *confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*. A communione in sacramentis, orationibus, sacrificiis et satisfactionibus aliorum excluduntur qui excommunicantur, idque in maximam poenam suorum delictorum.

101. Ex 20, 6.

102. Sal 118, 63.

103. *Symbolum Niceno-Constantinopolitanum*: DS<sup>94</sup> 150.

Additur in eodem articulo "remissio peccatorum", quod expositione non indiget, consolatur tamen peccatores, quia quam certum est esse peccata propter quae Deus punit, tam certum est esse in Ecclesia Dei remissionem peccatorum atque iustificationem qua delentur. His autem qui spiritu desperationis agitantur in memoriam revocandum est ipsos in Symbolo fidei ab Apostolis nobis relicto contineri tamquam rem firma fide tenendam remissionem peccatorum. Symbolum Apostolorum inter alios exposuerunt Cyprianus aut Rufinus loco citato<sup>104</sup>, Augustinus 9 tomo, in 4 libro De Symbolo Cathecumenorum<sup>105</sup>, Chrysostomus in 5 tomo, in duabus homiliis<sup>106</sup>, Damasus papa, et habetur expositio in 4 tomo operum D. Hieronymi<sup>107</sup>. Hieronymus etiam duas fecit expositiones: alteram ad Damasum<sup>108</sup> et alteram ad Cyrillum<sup>109</sup>, Cyrillus altera<sup>110</sup> quae habetur 1.º tomo [f. 117r] conciliorum, Gregorius Nazianzenus in tractatu de fide<sup>111</sup>, D. Thomas in opusculis<sup>112</sup> et Osius in confessione fidei<sup>113</sup>, tractatu de fide et symbolo.

104. Véase la nota 76.

105. AUGUSTINUS (?), *De Symbolo ad catechumenos*, l. 4: PL 40, 659-668 (627-636). [No parece que sea de S. Agustín este sermón: ib., 625s.]

106. CHRYSOSTOMUS, *In Symbolum Apostolorum expositio, Homilia I; In Symbolum Apostolorum expositio alia, Homilia II*: Opera omnia, t. 5, Basilea 1558, 718-723. Cfr. CASPARI, *Ungedruckte... Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel*, t. 2, 1869, 225-244.

107. DAMASUS, *Symboli explanatio*. La noticia de esta exposición del Símbolo del Papa Dámaso pudo tomarla Molina de la edición de Erasmo de las obras de S. Jerónimo, t. 4, París 1546. En el fol. 41v dice, en la *Censura Epistolae sequentis*: «Plura fidei symbola reperiuntur inter epistolas divi Hieronymi: quorum nullum arbitror ab ipso conscriptum fuisse. Est unum titulo Damasi. Est alterum nomine Rufini...» Y en el folio siguiente, 42 a: *Damasi Symbolum*. Al que sigue: *Symboli explanatio ad Damasum*. Este coincide con el *Libellus fidei*, de Pelagio. Cfr. *Clavis Patrum Latinorum*<sup>2</sup>, n. 633, p. 144; n. 731, p. 167. Véase también: F. KATTENBUCH, *Das Apostolische Symbol*, Leipzig 1894, 1, 207ss.

108. PSEUDOHIERONYMUS [Pelagius], *Expositio Symboli ad Damasum*: Cfr. nota anterior. La carta XVI atribuida a S. Jerónimo en las antiguas ediciones puede verse en la edición citada en la nota anterior. Casi en su totalidad lo trae también S. Agustín en su obra *De gratia Christi et de peccato originali libri duo*: CSEL 42, 123-206.

109. PSEUDOHIERONYMUS, *Expositio Symboli ad Cyrillum*: PL 30, 182-187.

110. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Epistola 55* (olim 47): PG 77, 289-320. La edición y traducción que Molina vió pudo ser la de Winter, Basilea 1542, reproducida en esta parte por Ed. SCHWARTZ, *Concilium universale Ephesinum*, 5/2, 343-353.

111. [GREGORIUS ILIBERRITANUS], *De fide orthodoxa contra Arianos*: CChr 69, 221-247. Esta obra, en las antiguas ediciones de S. Gregorio Nacianceno, figuraba como suya. Cfr. ib., p. 218.

112. THOMAS AQUINAS, Puede referirse a los Opúsculos: IV (t. 1, 27 de las Obras de la ed. Vivès, París 1875, pp. 171-177) o, sobre todo, al VII (ed. c., ib., pp. 203-229): *In Symbolum Apostolorum «Credo in Deum» expositio*.

113. HOSIUS, *Confessio catholicae fidei christianae*, c. 6, 7, 8, 14: *Opera omnia*, Venecia 1573, f. 3v, 4, 5r y 9.

**Solutio quorundam dubiorum circa hactenus dicta.**

**Disputatio 3.**

Adversus hactenus dicta obicitur primo, quia quae lumine naturali possunt evidenter cognosci non pertinent ad fidem eo quod fides sit argumentum non apparentium neque articulus fidei esse possit circa obiectum de quo est evidentia; sed esse unum et esse creatorem coeli et terrae evidenter potest cognosci lumine naturali; imo est de facto demonstrative cognitum, ut 1 p., q. 2 et 11 visum est<sup>114</sup>; ergo male illa duo computantur inter articulos fidei.

2.<sup>o</sup> Parata esse malis supplicia aeterna in poenam peccatorum est articulus fidei non minus quam vitam aeternam paratam esse bonis; et tamen in nullo articulorum illorum continetur. Ergo plures sunt articuli.

3.<sup>o</sup> Sacramentum Eucharistiae non solum ad fidem pertinet, sed etiam habet peculiarem difficultatem ut credatur, expeditque fideles omnes mysterium Eucharistiae explicite scire et credere, tum ut Christum adorent in Eucharistia et Sacrificio Missae, tum etiam ut Christum reverenter suscipiant. Ergo sacramentum atque mysterium Eucharistiae ad articulos fidei pertinet, et tamen in nullo eorum qui numerati sunt continetur. Ergo non sunt sufficienter numerati.

Quidam (de quorum numero est Canus, 12 de locis, cap. 4<sup>115</sup>) asseruerunt ad articulos fidei solum pertinere ea quae ratione naturali nullo modo possunt evidenter cognosci [f. 117v]. Quare dixerunt ad primum articulum fidei non pertinere credere esse unum Deum absolute, quia id ratione naturali potest evidenter cognosci, sed credere esse unum Deum tamquam principium rerum supernaturalium, quod necessario indiget divina revelatione ut cognoscatur. Crediderim tamen ad articulos fidei etiam pertinere quaedam, quae licet ratione naturali possint evidenter cognosci, nihilominus revelata sunt a Deo, tum ut plures atque citius venirent in cognitionem eorum, tum vel maxime quoniam ad salutem non sufficit qualis-

114. MOLINA, LUIS DE, *Commentaria in primam Divi Thomae partem*, q. 2, a. 3: e. c., p. 41 b-50 a.

115. CANO, *De locis*, l. 12, c. 3: ed. c., p. 157: «Non est articulus fidei, mundum a Deo extitisse; sed Deum in principio temporis coelum terramque creasse, id vero articulus fidei est, qui demonstrari nulla ratione potest, quemadmodum D. Thomas 1 part., quaest. 46, art. 2, disserit».

cumque cognitio eorum, sed supernaturalis, ad quam concurrat habitus fidei, sive simul etiam concurrat medium demonstrativum et producat actus evidens supernaturalis tunc propter concursum habitus fidei, sive non concurrat medium demonstrativum, sed producat actus inevidens proprius fidei. Atque de eorum numero est esse unum Deum, quod ad primum articulum pertinet; et esse creatorem, quod pertinet ad quintum, ut absolute sonant verba Symboli Apostolorum, nulla in eis facta violentia, ut facit maximam sententia Cani; praeterquam quod iuxta eam non video quomodo articulus primus et quintus distinguantur ab invicem. Quoniam vero de hac re diximus plura 1 p., q. 1 disp. 1<sup>116</sup>, haec modo dixisse sufficiat.

Ad 1 ergo argumentum negandum est ea quae possunt evidenter cognosci non pertinere ad articulos fidei. Et ad probationem dicendum est fidem esse argumentum non apparentium, id est, esse lumen quod inclinatur ad assentiendum etiam ubi res non apparent et non evidenter cognoscuntur, quia inclinatur ad assentiendum rebus quatenus a Deo revelata sunt, ex quo capite res non habent quod evidenter cognoscantur; quare de se ad non apparentia incli[n]at, accedente vero medio demonstrativo circa rem revelatam, inclinatur etiam ad ei assentiendum, non quia evidens est, sed quia revelata est. Neque tunc producit proprium actum, quia impeditur a medio demonstrativo conferente simul et causante evidentiam, sed adjuvat medium demonstrativum et producit cum eo actum scientiae supernaturalis magis firmum et magis certum quam produceretur concurrente solo medio demonstrativo ut loco citato et I. II., q. 67, art. 4<sup>117</sup> explicatum est. Quare quod actus proprius fidei non possit esse circa obiectum evidens non tollit quod quaedam quae evidenter possint cognosci pertineant ad articulos fidei; eatenus enim pertinent quoniam ad salutem necessarium est ea cognoscere vel proprio actu fidei, vel actu scientiae supernaturali qui causetur concurrente habitu fidei innitendoque divinae revelationi.

Ad 2 dicendum est, ad articulum fidei satis esse vel quod expresse contineatur in symbolo fidei, vel inde facile intelligatur;

116. MOLINA, LUIS DE, *Commentaria in primam Divi Thomae partem*, q. 1, a. 1, disp. 1: ed. c., 2 b-4 b.

117. MOLINA, LUIS DE, *Expositiones in I.II. divi Thomae*, q. 67, a. 4: cfr. nota 55, f. 226r-v.

poenas vero aeternas malis paratas esse, et ex illo atque in illo articulo facile intelligitur: Inde venturus est iudicare vivos et mortuos, et ex illo carnis resurrectionem, et vitam aeternam bonis vel quibus remissa fuerint peccata, et qui discesserint ex hac vita iustificati, malis vero mortem et poenas aeternas. Quare malis paratas esse poenas aeternas tanquam pars est vel articuli septimi pertinentium ad humanitatem, vel potius septimi pertinentium ad divinitatem neque necesse fuit Apostolis in summa fidei omnia exprimere, sed satis fuit innuere et committere episcopis, praesbiteris, contionatoribus et parentibus maiorem explicationem.

Ad 3 potest similiter dici mysterium Eucharistiae [f. 118v] esse partem illius articuli in eoque contineri et innui: Credo sanctorum communionem, remissionem peccatorum, ut ex superioribus dictis facile patet, ubi explicavimus ad illum pertinere fidem sacramentorum. Apostoli autem reliquerunt rectoribus Ecclesiae ampliorem illius explicationem. Ratione vero adorationis Eucharistiae atque debitae communionis ad quam divino praecepto arctamur tenemur arctius illud scire et credere explicite quam si haec non intervenirent.

### In Articulum 10.

**Quid nomine Ecclesiae intelligatur et utrum sit una et eadem a principio mundi et usque ad finem.**

#### Disputatio 1.

Hoc articulo plura scitu dignissima occurrunt disputanda circa auctoritatem Ecclesiae, Summi Pontificis et Conciliorum in rebus fidei amplectendis et definiendis. Atque ut ab Ecclesia incipiamus, videndum est primo quid nomine Ecclesiae intelligatur, et utrum Ecclesia a principio mundi usque ad finem sit una et eadem. Quod vero attinet ad primum sciendum est Ecclesiam esse vocabulum graecum, significareque conventum, concionem seu congregationem, et licet vocabulum "synagoga", quod graecum etiam est, idem significet, vis tamen utriusque nominis quadam ex parte non est eadem, ut notarunt Augustinus super illud psal-

o - Sento *Psalm*  
- - DT  
+ - NT  
x - De uetulo

mi<sup>118</sup>, *Deus stetit in synagoga deorum*<sup>119</sup>, et *Beda* super illud Proverbiorum 5<sup>120</sup>, *In medio Ecclesiae et synagogae*<sup>121</sup>. Synagoga enim a sinago, quod est congreco, dicitur; congregantur vero non solum homines, sed et irrationalia, Ecclesia vero ab ecclesiaz, quod est concionor et vocando congreco, unde coniunc[f. 119r]tum et congregationem vocatorum significat, quod hominum est proprium. Licet ergo *Augustinus* loco citato notavit congregatio fidelium sub statu legis Veteris Ecclesia et Synagoga dicta sit, congregatio tamen fidelium sub statu legis gratiae numquam synagoga, sed Ecclesia ab Apostolis dicta fuit sive ad discernendum hanc ab illa, sive quod populus christianus vocatione potius et praedicatione quam carnis propagatione adunatus et propagatus sit; populus vero Iudaeorum carnali potius propagatione quam praedicatione et vocatione; omnes tamen in universum fideles qui ab Adam fuerunt, vocatione saltem interna, ad fidem atque ad universalem Ecclesiam vocati sunt; licet si ad nomenclationem attendas Ecclesia et Synagoga pro quacumque hominum congregatione accipi possint. Unde psalmo 25 Regius Propheta dixit<sup>122</sup>, se odisse Ecclesiam malignantium, et ob id concursus et conventus gentilium Ecclesia dicitur; et Apoc. 2<sup>123</sup> Synagogae Sanae fit mentio.

Attamen (ut Synagogam omittamus) Ecclesia pro caetu atque collectione fidelium profitentium veram fidem atque in ea communicantium sumitur. Quam definitionem *Nicolaus papa*, de Consecratione, d. 1, cap. Ecclesia innuit<sup>124</sup>, licet aliud agens. Coetus ergo et conventus hoc loco non tam quoad locum quam quoad convenientiam in professione verae fidei intelligitur. Quoniam vero cum identitate fidei sit diversitas in modo eam profitendi, tum quia antiqui Christum profitebantur venturum, quem nos profiteamur iam venisse, tum etiam quia ea quae sunt fidei uno tempore fuerunt magis explicite revelata et credita quam alio, aliaque atque alio tempore alia atque alia lex fuit data fidelibus, aliaque atque alia signa sensibilia et alii [f. 119v] ritus ins-

o 118. AUGUSTINUS, *In Psalmum 81, 1*: CChr 39, 1136.

- 119. Sal 81, 1.

o 120. BEDA, *In Proverbia*, c. 5: PL 91, 957 D.

- 121. Prov 5, 14.

- 122. Sal 25, 5.

+ 123. Ap. 2, 9.

x 124. C. I. C., c. 8, D. 1, de cons.: Ed. Friedberg, 1, 1296.

tituti ad protestandum fidem et colendum Deum, fit ut Ecclesia universalis, quae omnes in universum fideles complectitur, qui in vera fide unius mediatoris convenerunt, in plures partiales ecclesias dividatur quae ad invicem differunt penes varium statum fidei et veram legem fidelibus latam, cum variis signis sensibilibus et ritibus ad protestandum fidem et colendum Deum. Harum autem quaelibet in se una Ecclesia dici potest, divisa a reliquis, et quae posterius tempore incepit nova Ecclesia ratione praecedentis aut praecedentium dici potest et est, licet omnes simpliciter sint una et eadem Ecclesia successione quadam.

Sunt vero huiusmodi ecclesiae, in quas universalis Ecclesia militans de qua nobis est sermo dividitur, tres: ecclesia scilicet legis naturalis, Ecclesia legis scriptae seu Synagoga, et Ecclesia christiana. Ecclesia legis naturae duravit usque ad datam legem scriptam, et inde usque ad adventum et mortem Christi in his fidelibus qui non de filiis Israel, neque sua sponte amplecti volebant legem scriptam, quae solos filios Israel obligabat. Elegit enim Deus Abraham, Isaac et Jacob, de quorum semine Christus nasceretur, eique promittens Messiam venturum de semine ipsorum, dedit posteris eorum legem quae esset tamquam umbra eorum quae futura erant adveniente Christo, quaeque disponeret ad suscipiendum Christum cernentibus hominibus in adventu Christi mysteria legis evangelicae promissa, iam antea figurata et praedicta fuisse per prophetas in lege veteri. Noluit tamen hanc legem alios obligare quam filios Israel, unde<sup>f</sup> eam non iussit per orbem divulgari et praedicari ut legem evangelicam.

Ecclesia legis scriptae atque Synagoga (quae initium habuit a tempore Abrahami, cum Deus tradidit circumcisionem in signaculum iustitiae fidei, ut Paulus ait ad [f. 120r] Rom. 4<sup>125</sup>, stabilita tamen fuit tempore Moysis) duravit etiam usque ad adventum et mortem Christi: quo tempore toto fuerunt duo ovilia et duae Ecclesiae in orbe: altera Iudaeorum et altera gentilium, ut patet ex illo Christi. Ioannis 10<sup>126</sup>: *Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, illas oportet me adducere, [...] et fiet unum*

f. MS: unde non eam non iussit...

+125. Rom 4, 11

+126. Jn 10, 16.

*ovile et unus pastor*, id est, una tantum Ecclesia sub uno et eodem pastore. Christus enim, ut Paulus ad Ephesios 2<sup>127</sup> ait, [ipse enim] *est pax nostra, qui fecit utraque unum*, id est, ex duobus populis gentili et iudaico unum christianum, *et medium parietem maceriae solvens*, id est, solvens et evacuans legem veterem, quae illos tamquam maceria ad tempus posita dividebat; condidit illos duos populos in semetipso tamquam in vero lapide angulari eos coniungente in unam Ecclesiam christianam. Porro utraque Ecclesia in hoc conveniebat, quod homines in eis salvabantur in fide venturi.

Ecclesia christiana, quae ab adventu Christi incepit, et in morte ita stabilita est, ut duae priores cessarent, nullusque qui eas profiteretur, salvaretur (saltem post promulgationem Evangelii sufficienter factam orbi, iuxta ea quae l. 2., q. 103<sup>128</sup> in materia de cessatione legalium dicta sunt) durabit sola usque ad consummationem saeculi, iuxta illud Christi: Hic est Sanguis novi et aeterni testamenti<sup>129</sup>, atque illud; *portae inferi non praevalent adversus eam*<sup>130</sup>, et illud; *Ecce ego vobiscum sum [...] in consummationem saeculi*<sup>131</sup>.

Porro quod hae tres ecclesiae, ex quibus Ecclesia universalis integratur, diversae inter se ecclesiae sint, licet in unam universalem convenient, patet primo, ex vario statu fidei quoad plura aut pauciora quae homines in illis tenebantur explicite credere, et quoad varios ritus et modos qui[f. 120v]bus tenebantur eam exterius profiteri ac Deum colere, atque ex diversitate legum ad quas homines in illis tenebantur, quae plane sufficientissima sunt ad constituendas diversas republicas fidelium in fide ac religione, et subinde diversas ecclesias.

Patet 2.<sup>o</sup>, testimoniis Scripturae Sacrae. Quod enim Ecclesia legis naturae et Synagoga diversae essent ecclesiae, testatur Christus appellans illas diversa ovilia, ex quibus dicebat futurum unum tantum ovile sub uno pastore<sup>132</sup>; testatur etiam Paulus affirmans

+ 127. Ef 2, 14.

128. MOLINA, LUIS DE, *Expositiones in I.II. divi Thomae*, q. 103: Cod. 2.804 (cf. n. 33), f. 442v-452v.

+ 129. Cfr. Mt 26, 28 y Mc 14, 24.

+ 130. Mt 16, 18.

+ 131. Mt 28, 20.

+ 132. Jn 10, 16.

+ 133. Ef 2, 14.



Christum fecisse utraque unum<sup>133</sup>, et condidisse duos populos in semetipso in unam Ecclesiam christianam<sup>134</sup>. Quod vero Ecclesia christiana diversa sit a praecedentibus, inceperitque de novo tamquam diversa Ecclesia suo modo, patet ex illo Matthaei 16<sup>135</sup>: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; edificabo, inquit, quare nova quaedam et distincta a praecedentibus fuit. Dicit vero, "aedificabo", in futuro, quoniam in morte Christi stabilita fuit, a quo tempore lex evangelica coepit obligare, duabus prioribus ecclesiis evacuatis, ut l. 2, loco citato ostensum est<sup>136</sup>. Patet etiam ex illo Apocal. 21<sup>137</sup>: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem, novam*, id est, Ecclesiam christianam, *descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo*; sola Ecclesia christiana habuit in se virum atque sponsum suum, Christum. Duae namque priores Ecclesiae illum expectabant. Ut tamen verum fatear, locus hic de Ecclesia etiam triumphante descendente de coelo in die iudicii intelligi potest.

Patet 3.<sup>o</sup>, ex illo Ioan. 10<sup>138</sup>: *fiet unum ovile et unus pastor*, duobus scilicet prioribus evacuatis. Fiet, inquit; nondum ergo est stabilitum et fundatum, licet iam coeperit [f. 121r] fundari. Ambrosius<sup>139</sup> etiam super illud Lucae 2<sup>140</sup>: *Pastores loquebantur ad invicem*, etc.: Videte, ait, Ecclesiae surgentis exordium; surgentis dicit, quasi de novo incipientis. Ex quibus omnibus patet Ecclesiam christianam sub adventu Christi incepisse tamquam novam et diversam Ecclesiam a praecedentibus, illamque solam (quod a Deo, ministerio Christi fundata sit habeatque in se Christum sponsum suum) mereri dici christianam, et solos fideles qui in ea sunt, mereri dici christianos. Patet etiam hoc non tollere illam cum praecedentibus efficere unam Ecclesiam universalem esseque eandem successione quadam cum praecedentibus, quatenus conveniunt in fide mediatoris, quae est fides universalis Ecclesiae. Quod etiam Dominus aperte dicit, Matthaei 21<sup>141</sup>, ubi comparans totam Ecclesiam universalem quam praecipue Deus tra-

↑ 134. Ef 2, 15s.

↑ 135. Mt 16, 18.

↑ 136. MOLINA. LUIS DE. *Expositiones in I.II. dñi Thomae*. q. 103; ib. (n. 128), f. 450v.

↑ 137. Ap 21, 2.

↑ 138. Jn 10, 16.

○ 139. AMBROSIIUS. *Expositio Evangelii secundum Lucam*, 2, 50: CChr 14, 53, 693s.

↑ 140. Lc 2, 15.

↑ 141. Mt 21, 41.

diderat Iudaeis, cum principes sacerdotum et seniores nescientes quid dicerent, digna poena quam pro suis delictis merebantur a Deo plecti protulissent dicentes: *malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent fructum eius*, addidit Christus <sup>142</sup>: *ideo dico vobis [quia] auferetur a vobis regnum Dei*, id est Ecclesia, *et dabitur genti facienti fructum eius*; quibus verbis manifeste docuit eandem esse vineam et Ecclesiam, quae ablata fuit magna ex parte a Iudaeis, et data fuit gentilibus qui loco Iudaeorum subrogati sunt in Ecclesiam Christi. Eandem etiam esse Ecclesiam successione quadam aperte docuit Paulus ad Rom. 11 <sup>143</sup>, comparatione olivae a qua abscisi sunt rami Iudaeorum, et in qua inserti sunt gentiles. Per Iudaeos namque Apostolos scilicet et caeteros qui in Christo primo crediderunt, derivata fuit Ecclesia ad gentiles et continuata in unam Ecclesiam. Sicut enim planta [f. 121v] a qua quidam rami abscinduntur, et in qua alii inseruntur quaeque innovatur, dicitur eadem planta, ita Ecclesia dicitur eadem successione quadam, licet adveniente Christo innovata et variata sit. Quia ergo Ecclesia Iudaeorum eadem futura erat praedicto modo cum christiana et per ipsosmet Apostolos et Iudaeos continuanda et derivanda erat ad Gentiles, dicit Deus saepe per prophetas: *Non te deseram neque derelinquam* <sup>144</sup>, et Esaias 64 <sup>145</sup>: *Dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende [...] ad dexteram et ad laevam penetrabis, et semen tuum gentes haereditabit*. Saepeque fit mentio de vocatione gentium ad Ecclesiam tempore Messiae. Unde Chrysostomus <sup>146</sup>: Iudaea, inquit, secundum Deum mater est gentium, quia scilicet per Iudaeos Ecclesia ad gentes derivata est. Quia ergo Iudaei ipsi maxima ex parte deserendi erant, et loco ipsorum subrogandi erant Gentiles, ideo dicitur eis: *Auferetur a vobis regnum Dei, relinquetur [vobis] domus vestra deserta* <sup>147</sup>; et Esaias 1 <sup>148</sup> [*de*] *relinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugarium in cucumerario*. Haec inserviunt maxime ad intelligendas

+ 142. Mt 21, 43.

+ 143. Rom 11, 19-24.

+ 144. Heb 13, 5.

- 145. Is 64, 2s.

\* 146. No hemos podido encontrar esta cita entre las obras del Crisóstomo. La tomé, sin duda, de Driedo (véase nota 149, f. 217v A).

+ 147. Mt 21, 43 y 23, 38.

- 148. Is 1, 8.

Scripturas. Vide Driedonium, de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 2, 4 lib., p. 4<sup>149</sup>.

Singula trium ecclesiarum numeratarum in plures partiales ecclesias dividi possunt, quae minori magisque accidentario discrimine distinguuntur quandoquidem in fide, lege, cultu, modoque protestandi fidem conveniunt. Hoc enim distinguimus Ecclesiam primitivam, quae fuit tempore Apostolorum et in qua plus abundaverunt dona Spiritus Sancti et miracula, ab Ecclesia quae fuit postea. Distinguimus etiam Ecclesiam graecam a Latina, orientalem ab occidentali, Eborensem ab [f. 122r] Ulysiponensi; una enim harum duarum est congregatio fidelium qui subiecti sunt Archiepiscopo Eborensi. Hoc modo sumit Ecclesiam Paulus quando in plurali inquit: Sicut per omnes Ecclesias doceo<sup>150</sup>. Sumitur etiam Ecclesia aliquando non pro congregatione fidelium, sed pro loco in quo solent ad divina congregari. Ita sumitur Iudith, 6<sup>151</sup> quando dicitur per totam noctem intra ecclesiam oraverunt; et sumitur a Luciano in Dialogo Mercurii et Maiiae<sup>152</sup>.

Ex dictis colligo quod licet in Ecclesia christiana non sit Ecclesia universalis a principio mundi usque ad finem eius, est tamen Ecclesia universalis a morte Christi et sufficienti promulgatione Evangelii usque ad consummationem saeculi, quia hoc tempore non est alia Ecclesia in orbe quam christiana neque sunt alii fideles in orbe quam qui in illa continentur. Quare sicut extra Ecclesiam universalem quae fuit a principio mundi usque ad consummationem saeculi nullus omnino salvatur, ita a sufficienti promulgatione Evangelii nullus omnino (etiam qui invencibiliter ignorat adventum Christi) salvatur extra Ecclesiam christianam. Utriusque Ecclesiae typus fuit suo modo in arca Noe hac in parte. Sicut enim illi solum qui fuerunt intra arcam salvi facti sunt tempore diluvii, ita illi solum salvantur qui continentur intra Ecclesiam. Petrus vero 1.<sup>a</sup> sua canonica, cap. 3<sup>153</sup> ad Ecclesiam christianam typum applicasse videtur. De Ecclesia christiana loquitur Concilium Later. IV. cap. Firmiter<sup>154</sup>, de summa Trinitate et fide

149. DRIEDO, JUAN, *De scripturis ecclesiasticis et dogmatibus*, l. 4, c. 2, p. 1: Operum Ioannis Driedonis, t. 1, Lovaina 1556, ff. 215-218r.

+ 150. 1 Cor 14, 23.

- 151. Jdt 6, 21.

o 152. LUCIANO SAMOSATENSIS, *Dialogus Mercurii et Maiiae* (Dialogi Deorum): Ed. Opera (T. Hemsterhus-I. Fr. Reitz), Zweibrücken 1790, t. 2, p. 82.

+ 153. 1 Pe 3, 20.

Concilio 154. *Concilium Lateranense IV*, c. 1: DS<sup>94</sup> 802.

catholica, quando inquit una est fidelium universalis Ecclesia extra quam nullus omnino salvatur, ut patet intuenti sequentia.

Verum adversum id quod dictum est, Ecclesiam scilicet esse congregationem fidelium profitentium veram fidem, arguitur primo, quia haeretici sunt de Ecclesia, ut patet, quia Ecclesia iu- [f. 122v]dicat de illis quandoquidem excommunicat eos et ad iudicium eos pertrahit; Paulus autem 1 Cor. 5<sup>155</sup> ait, *quid enim mihi de his qui foris sunt, id est extra Ecclesiam, iudicare? Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit*; tunc etiam quia postquam Paulus 2 Tim. 2<sup>156</sup> dixit Hymenaeum et Philetum a fide excidisse, subvertisseque quorundam fidem, addidit: *in magna autem domo, qualis scilicet est Ecclesia Dei, non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quaedam quidem in honorem, et quaedam in contumeliam*. Quibus verbis affirmat eos qui a fide discedunt esse etiam in Ecclesia tamquam vasa in contumeliam. Cum ergo haeretici non profiteantur veram fidem, fit ut Ecclesia non sit solum congregatio fidelium profitentium veram fidem.

2.º Catechumenus nondum baptizatus profitetur veram fidem, potestque iustificari et habere fidem infusam ante susceptum baptismum, et tamen nondum est de Ecclesia, quandoquidem Ecclesia non potest illum punire, neque tenetur legibus ecclesiasticis aut cogere ad suscipiendum baptismum. Ergo non recte definitur Ecclesia quod sit congregatio fidelium profitentium veram fidem.

3.º Summus Pontifex haereticus non profitetur veram fidem, et tamen manet caput Ecclesiae antequam deponatur, ac proinde pars Ecclesiae. Non ergo recte definitur Ecclesia quod sit congregatio fidelium profitentium veram fidem.

4.º Excommunicati non sunt de Ecclesia quando quidem ab ea per excommunicationem praescinduntur, et Christus Matthaei 18<sup>157</sup> de excommunicato dicat: *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*; et tamen profiteri potest simul veram fidem. Ergo definitio Ecclesiae non est recte tradita.

[f. 123r]. Ad primum horum negandum est haeticos esse de Ecclesia, ut patet ex cap. Firmissime, extra, de haeticis<sup>158</sup>, quod

+ 155. 1 Cor 5, 12s.

+ 156. 2 Tim 2, 17s 20.

+ 157. Mt 18, 17.

x 158. C. I. C., c. 3, D. 4, de cons.: Ed. Friedberg 1, 1362; c. 3, X, de haeticis. 3: ib. 2, 778.

est Augustini<sup>159</sup>, et ex Cypriano, libro 1.<sup>o</sup> Epistolarum epistola 3 et 6<sup>160</sup> atque ex Gregorio, 12 Moralium, cap. 15<sup>161</sup> et ex aliis. Idem etiam innuit aperte Concilium Lateranense IV<sup>162</sup> dicens: unam esse fidelium universalem Ecclesiam; haeretici namque fideles non sunt. Et ad primam probationem in oppositum dicendum est satis esse quod per baptismum professi fuerint fidem catholicam, et se subiecerint Ecclesiae, insignitique fuerint caractere christianitatis ad hoc ut Ecclesia excommunicare, punire et compellere eos possit ad fidem retinendam et legem servandam, cui se per baptismum obstrinxerunt, et quam professi sunt. Paulus autem loquitur de his qui ita sunt foris ut numquam Ecclesiam intraverint, in quos Ecclesia iurisdictionem non habet, ut habet in eos qui fuerunt de Ecclesia, et ab ea propria sponte dimissi et egressi sunt. Quare hi licet non sint de Ecclesia tamquam partes, eatenus tamen de Ecclesia dici poterunt quatenus insigniti sunt caractere christianitatis et Ecclesia iurisdictionem in eos habet. Ad secundam probationem dicendum est, quod quando Paulus inquit, *in magna autem domo non solum sunt vasa aurea*<sup>163</sup> etc., alludit ad illos pro eo tempore pro quo erant de Ecclesia, antequam exciderint in fide, dicens in domo Dei atque in Ecclesia quaedam vasa esse in honorem, ut sint praedestinati et quaedam in contumeliam, ut sint reprobis, ac proinde non mirum esse si quidam eorum qui erant in Ecclesia decidant a fide.

Pro solutione secundi adverte baptismum institutum [f. 123v] esse a Christo ut eo homines regenerentur et incorporentur plene Ecclesiae, atque eo profiteantur atque acceptent fidem christianam tamquam signo sensibili, quod sit ianua et quasi fundamentum ad caetera omnia. Cum enim Ecclesia christiana republica quaedam sit, spiritualis tamen hominum constantium non solum anima rationali, sed et corpore, decuit esse signum quoddam sensibile quo homines coram aliis profiterentur fidem quam acceptabant atque incorporarentur Ecclesiae. Hinc est quod in

○ 159. FULGENTIUS RUSPENSIS, *De fide ad Petrum diaconum*, 82 (39): CChr 91 A, 757.

○ 160. CYPRIANUS, *Epistola 59*: CSEL 3/2, 666-691; *Epistola 69*: CSEL 3/2, 749-766.

○ 161. GREGORIUS MAGNUS, *Moralium l. 12, c. 28* (vetus 15): PL 75, 1002 A.

○ 162. CONCILIUM LATERANENSE IV, Const. «Firmiter credimus», 1: COeD, 230-233.

+ 163. 2 Tim 2, 20.

Baptismo homines perfecte fiant christiani eoque eis imprimatur character quo Deus homines huius reipublicae insignitos esse voluit et distinctos a caeteris, longe melius quam Iudaeos quondam abscisione praeputii. Hinc etiam est quod baptismus singulari quadam ratione sacramentum fidei dicatur, ut patet ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7<sup>164</sup>, et quod dicatur ianua Ecclesiae et sit fundamentum caeterorum sacramentorum sine quo nullum aliorum est validum, et quod eo homines subiiciantur Ecclesiae cui incorporantur et cuius fidem acceptant atque omnibus praeceptis illius. Quae omnia latius videnda sunt in materia de baptismo. His praehabitis, admissa maiori, ad minorem dicendum est quod licet catechumenus non sit perfecte de Ecclesia, ita ut Ecclesia ius habeat ad illum puniendum et cogendum ad suscipiendum baptismum, sicut ad eum obligandum legibus ecclesiasticis, est tamen ratione fidei de Ecclesia christiana, extra quam non est salus et in qua salvabitur si morte repentina superveniente non potuit baptizari et habuit legitimam contritionem suorum peccatorum.

Materia tertii argumenti inferius discutietur.

Ad quartum negandum est excommunicatos non esse [f. 124r] de Ecclesia. Excommunicatio enim excludit a communicatione cum caeteris fidelibus, a participatione sacramentorum, a suffragiis et orationibus Ecclesiae, in qua exclusione excommunicatus assimilatur ethnico, qui non est de Ecclesia, non tamen excludit a fide per baptismum protestata, secundum quam manet unitus Ecclesiae et pars illius.

Explicantes primum eorum quae in titulo huius disputationis proposuimus, non potuimus non miscere alia, unde circa secundum pauca dicenda restant. Ex dictis facile est intelligere post Adae peccatum unam et eandem fuisse in orbe Ecclesiam universalem, et fore usque ad consummationem saeculi, in qua non est credendum defuisse et defuturos esse aliquando non solum fideles qui sani sint in fide, sed etiam iustos; habuit tamen alium atque alium statum ut explicatum est, et latius explicat Driedonius, 4 libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 2, p. 1<sup>165</sup>. In ea

164. Concilium Tridentinum, sess. 6, c. 7: COeD, 673, 24-25.

165. DRIEDO, JUAN, *De scripturis ecclesiasticis et dogmatibus*, l. 4, c. 2, p. 1: ed. c., p. 212 b-218 a.

caput est Christus, qui licet non a principio mundi fuerit in ea collocatus influebat tamen passione et meritis suis a Deo praevisis et praeordinatis; quidquid enim post Adae peccatum gratiae et donorum collatum est hominibus, meritis Christi collatum est, neque enim aliud nomen sub coelo datum est hominibus in quo salvi fiant <sup>166</sup> quam nomen Domini nostri Iesuchristi, quem Pater posuit propitiationem per fidem in sanguine eius <sup>167</sup>. Quia ergo a principio mundi influit morte et passione sua in corpus Ecclesiae perinde atque si a principio mundi esset mortuus, Apocalypsis 13 <sup>168</sup> dicitur agnus occisus ab origine mundi. Abundantiora autem dona influit postquam in Ecclesia est col[f. 124v]locatus suo adventu, quod fuit a principio Ecclesiae christianae; semper tamen fuit lapis fundamenti et caput Ecclesiae universalis.

Dixi post Adae peccatum fuisse unam et eandem Ecclesiam universalem in orbe, quia status primorum parentum ante peccatum non pertinebat ad hanc Ecclesiam quandoquidem in illo gratia et dona nondum conferebantur meritis Christi, neque erat idem spiritus fidei mediatoris quo homines iustificarentur. Imo incertum esset utrum si Adam non peccasset, Verbum Divinum esset assumpturum carnem humanam et futurum esset Caput Ecclesiae, et illud est certum non futurum redemptorem neque mediatorem per mortem et sanguinem suum. Quare alterius rationis erat status innocentiae ab statu qui post peccatum sequutus est, in quo statim tradidit Deus Adamo fidem redemptoris futuri, ut patet ex illo Genesis 3 <sup>169</sup> ad serpentem: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* et ipsos aut (ut alii iuxta editionem vulgatam putant legendum esse, credentes errorem esse calcographorum aut emendantium) ipsum, scilicet semen mulieris Christus atque Messias venturus *conteret caput tuum*, ubi manifeste traditur fides venturi atque remedii futuri contra peccatum.

Illud addam non solum post Adae peccatum esse unam et eandem Ecclesiam usque ad consummationem saeculi, sed hanc esse eandem suo modo cum triumphante in sempiternum duratura iuxta illud Angeli ad Mariam Lucae 1 <sup>170</sup>: *regnabit in domo Iacob*

+ 166. Heb 4, 12.

+ 167. Rom 3, 25.

+ 168. Ap 13, 8.

- 169. Gn 3, 15.

+ 170. Lc 1, 32.

*in aeternum*, id est, in Ecclesia tradita domui Iacob, quae transit [f. 125r] in Ecclesiam christianam et successione quadam est eadem cum illa, *et regni eius non erit finis*. Ecclesia enim triumphans quoad statum differt a militante; est enim unum corpus sub eodem capite, translatum ad feliciorum statum, in quo recipit ab illo abundantiora et praeclariora dona; est etiam eadem sponsa recepta iam ad aethereum thalamum et ad gaudium sponsi, et translata ab obscuritate fidei ad claram visionem, et ab statu militiae, agonis et pugnae ad statum triumphi, coronae et praemii.

Illud etiam advertite nomine Ecclesiae nos interdum intelligere corpus Ecclesiae praescindendo a Christo ipsius capite, quo pacto Ecclesiam appellamus sponsam Christi, et Christum eius sponsum. Hoc pacto videtur sumere Paulus Ecclesiam ad Ephes. 1 et 5<sup>171</sup> ac alibi ubi eam appellat corpus Christi. Loquitur de corpore ut praescindit a capite: interdum vero nomine Ecclesiae intelligimus aggregatum ex corpore et capite, quo pacto Christum quatenus hominem partem et caput Ecclesiae dicimus esse.

Dubium remanet utrum Ecclesia universalis inceperit in Adam et Eva post peccatum an vero in Abel. Multi cum Augustino in libro [15] de Civitate<sup>172</sup>, et super illud psalmi 61<sup>173</sup>, *tamquam parieti inclinato*, et illud *verum tamen praetium meum*, etc. affirmant dicendum esse in Abel et non statim in Adam et Eva. Ego vero, ut verum fatear, non video cur non sit potius dicendum incepisse in Adam et Eva; licet enim ad Ecclesiam non sufficiat unus tantum ex illis, quandoquidem est corpus mysticum quod requirit plura membra et quandoquidem definitur [f. 125v] esse congregatio fidelium, attamen quaecumque multitudo et pluralitas fidelium sufficit sub capite Christo ad rationem Ecclesiae, Adamus vero et Eva plures fide legerant, statimque poenitentiam egerunt de suo delicto, licet id ad rationem Ecclesiae non requiratur. Quod si quis dicat quod cum Ecclesia respublica quaedam visibilis sit hominum constantium corpore et anima, ad rationem Ecclesiae non sufficit multitudo fidelium nisi protestentur veram fidem signo aliquo sensibili, plane hoc non tollit quominus dicamus Ecclesiam incepisse in Adam et Eva, tum quia non est veri-

+ 171. Ef 1, 22s; 5, 23.

o 172. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, 1. 15: CChr 48, 453-497.

o 173. Id., *Enarrationes in Psalmum 61*, 4: CChr 39, 774s.



simile Adamum et Evam non coluisse Deum exterius, et protestatos fuisse suam fidem signo sensibili ante nativitatem Abel, tum etiam quoniam Caimo applicasse videntur remedium contra peccatum originale ante nativitatem Abel; et licet postea fuerit malus, non solum fuit fidelis et membrum Ecclesiae cum suis parentibus ante nativitatem Abel, sed etiam aliquando videtur fuisse iustus et in gratia constitutus. Propter hoc ergo probabilius puto Ecclesiam universalem incepisse a primis parentibus, quae sententia episcopo Leiriensi in suis axiomatibus, lib. 4 disp. 2, cap. 10<sup>174</sup> non displicet. Et forte Augustinus exponi potest quod loquatur de Ecclesia a tempore quo in ea civitas Dei, id est, iustorum divisa est a civitate Babylonis et Diaboli, qualis est congregatio iniquorum, si namque loquamur de Ecclesia ut antea est diffinita, Cain, qui in fide non erravit, de Ecclesia fuit etiam post peccatum.

**Utrum fideles qui extra gratiam  
et in peccato sunt mortali de Ecclesia  
sint catholica tanquam partes eius.**

**Disputatio 2.**

[f. 126r]. In partem negativam arguitur primo, quia in Symbolo Ecclesia Catholica sancta dicitur; qui autem in peccato mortali sunt, sancti non sunt; licet ergo sani sunt in fide non sunt de Ecclesia. Et confirmatur quia Paulus ad Ephes. 5<sup>175</sup> sine macula eam describit, dicens, ut *exhiberet [ipse] sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*. Et Canticorum 4<sup>176</sup> de ea dicitur quod tota pulchra est et macula non est in ea; et Canticorum 6<sup>177</sup>: *una [est] columba mea, perfecta mea*. Et Esaiiae 52<sup>178</sup>: *non adiciet ut pertranseat per te incircuncisus et immundus*. Fit ergo ut qui extra gratiam in peccato mortali sunt, de Ecclesia non sint.

174. CASAL, GASP. O. S. A. E., *Axiomata Christiana ex divinis Scripturis...*, l. 4, disp. 2, c. 10: ed. Coimbra 1550, f. 172r (γ 167v).

+ 175. Ef 5, 27.

- 176. Cant 4, 7.

- 177. Cant 6, 8.

- 178. Is 52, 1.

2.º Si qui in peccato mortali sunt, partes atque membra essent Ecclesiae, utique essent membra Christi; at sunt membra diaboli pertinentque ad civitatem Babylonis cuius caput est diabolus et quam facit amor sui usque ad contemptum Dei, dum et Cain qui in fide errasse non legitur non ad Ecclesiam et civitatem Dei pertinere dicitur ab Augustino, sed ad civitatem Babylonis propter sua peccata; fit ergo ut qui in peccato mortali sunt non pertineant ad Ecclesiam, cum societas non est lucis ad tenebras, neque conventio Christi ad Belial, ita fieri nequit ut idem simul sit membrum Christi et Diaboli, pertineatque ad Ecclesiam et civitatem Dei et simul etiam ad civitatem Babylonis.

3.º ex Aristotele, 2 de anima<sup>179</sup>, membrum mortuum aequivoce dicitur membrum, perinde atque membrum pictum. Quare proprie et absolute non est membrum; cum ergo existens in peccato mortali non sit membrum Ecclesiae vivum, sed mortuum, ut patet ex illo Lucae 15<sup>180</sup>, de filio prodigo: *frater tuus hic mortuus erat et revixit*, fit ut sim[f. 126v]pliciter et absolute neque membrum, neque pars sit Ecclesiae. Vera namque membra Ecclesiae ex Paulo 1 Cor. 12<sup>181</sup> ita affecta sunt, ut si gaudet unum membrum congaudeant alia membra; quae autem sine charitate sunt, et quae officia vitae spiritualis exercere non possunt, id utique praestare non possunt. Quare non sunt vere membra Ecclesiae.

4.º Oves Christi vocem Christi audiunt et sequuntur Christum, ut habetur Ioannis 10<sup>182</sup>. Qui ergo Christum non sequuntur, neque oboediunt mandatis illius non sunt de ovibus Christi, ac proinde ad ovile et Ecclesiam Christi non pertinent.

Haeretici quo auctoritatem Ecclesiae enervent, matrisque a qua discesserunt, infallibile iudicium quo opprimuntur, subterfugiant, nullum non movent lapidem quo vel ad Ecclesiam videantur raperi, vel eius infallibilem auctoritatem minuant aut negent, vel certe persuadeant Ecclesiam Catholicam quae columna et firmamentum est veritatis non esse eam quam putamus, sed longe diversam, de qua non possit constare ubi sit, ac proinde neque de

*Aristóteles*

179. ARISTOTELES, *De anima*, l. 2. No hemos podido verificar esta cita en los libros *De anima* de Aristóteles. Molina pudo tomar la cita de CANO, *De locis*, l. 4, c. 1, arg. 9: ed. c., 1, 238, nota 37. Molina, como CANO (cfr. ib., p. 299ss), se olvida de la cita de Aristóteles en la respuesta al argumento.

+ 180. Lc 15, 32.

+ 181. 1 Cor 12, 26.

+ 182. Jn 10, 3.

infallibili eius iudicio. Inter alios errores quos in sequentibus impugnabimus Catari et Donatistae, atque ex Lutheranis Anabaptistae affirmarunt Ecclesiam in illis solis esse, qui omni prorsus carent peccato, arbitrantes cum Pelagianis in hac mortali vita dari posse perfectam iustitiam quae omni prorsus careat peccato. Wicleph autem et Ioannes Hus damnati in concilio Constantiensi, sess. 8 et 15<sup>183</sup> affirmarunt Ecclesiam solam esse in praedestinatiis, asserentes Paulum numquam fuisse extra Ecclesiam, etiam quando Ecclesiam persequeretur, et Iudam [f. 127r] numquam fuisse de Ecclesia. Quidam alii, ex Lutheranis, post quosdam antiquiores haereticos, asseruerunt solos iustos pertinere ad Ecclesiam, improbos vero et malos non pertinere ad Ecclesiam; unde iudicium Ecclesiae Romanae inter alia contemnunt, quod ad iudicandum et definiendum mali et peccatores conveniant. Quoniam vero velle omnes stultitias impugnare stultum id etiam est, et ad alium locum spectat ostendere hanc miseram vitam etiam in viris sanctissimis sine venialibus peccatis transigi non posse, ostensoque adversus ultimos omnes in universum fideles sive boni sint sive mali ad Ecclesiam pertinere, caeteri etiam errores eversi manent, hoc ultimum solum praestabimus hoc loco. Qui voluerit videre caeteros errores sigillatim impugnatos legat, inter alios, Canum, 4 de locis, cap. 3<sup>184</sup>.

Quod ergo fideles tam mali quam boni ad Ecclesiam pertineant probatur apertissimis locis Scripturae. Matthaei 13<sup>185</sup>: *Simile, inquit Christus, est regnum coelorum, id est Ecclesia militans, sagenae missae in mare* (huius mundi per pisces hominum mittentes verbum Dei et anunciantes Evangelium) *et ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset, educetes* (ad litus scilicet huius mundi in morte qua confinium est huius mundi et alterius) *elegerunt bonos in vasa sua malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi* (aut cum univocum saeculum consummatur, aut cum omnibus in die iudicii fuerit consummatum) *eribunt angeli et separabunt malos de medio iustorum et mittent eos in caminum ignis. Ecclesia ergo militans malos et bonos comprehendit. In eodem capite*<sup>186</sup> *Regnum*

Concilii 183. Concilium Constantiense, sess. 8 et 15: COED, 429: Articuli damnati Ioannis Hus 1-3; 5-6.

184. CANO, *De locis*, l. 4, c. 3: Ed. Serry c., 1, 250-257.

→ 185. Mt 13, 47-50.

→ 186. Mt 13, 24-30, 41s.

coelorum, id est Ecclesia, comparatur *homini qui seminavit bonum semen in agro suo*, id est, mundo, et *cum dormirent homines, ini* [f. 127v] *micus homo superseminavit zizania* (id est, homines malos ut exponit Christus) *in medio tritici*. Et dixit paterfamilias: *Sinite utraque crescere usque ad messem* (id est, consummationem saeculi, ut exponit Christus) et tunc *dicam messoribus* —angelis scilicet—: *Colligite zizania in fasciculus ad comburendum et colligent*, inquit Christus, *de regno eius*, id est, Ecclesia, *omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis*; malique permisti sunt bonis in Ecclesia. Matthaei 3<sup>187</sup> comparatur areae in qua palea est permista tritico, quae separanda est et comburenda igni inestinguibili. Et Ioannis 10<sup>188</sup> comparatur ovili quo haedi cum ovibus sunt permisti, qui separandi sunt et collocandi ad sinistram in die iudicii, ut Christus ait Matthaei 23<sup>189</sup>. Matthaei 22<sup>190</sup> inquit Christus: *Simile est regnum coelorum*, id est Ecclesia militans, *homini regi qui fecit nuptias filio suo*, quando scilicet Pater aeternus sponsavit Filium suum cum natura humana quam ex Virgine sumpsit; convivium vero invitatis ad has nuptias exhibetur in alia vita, ubi parata est coena agni, excusaverunt autem se Iudaei magna ex parte qui antea invitati erant praecipue ad has nuptias et ad adventum Messiae, quos propterea perdidit paterfamilias missis exercitibus romanorum et loco illius vocatae sunt gentes et intromissae. *Ingressus autem rex ut videret discumbentes* in hac Ecclesia militante et expectantes convivium triumphantis, et videns *hominem non vestitum veste nuptiali*, id est sine charitate et in peccato mortali *ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Et ad litteram loquitur non de his qui manserunt extra Ecclesiam, sed de eo qui introierat et erat in illa, ut patet ex praecedentibus, et ait mi[f. 128r]nistris: *Ligatis manibus et pedibus*, id est ablata omni potestate deinceps ad poenitentiam et ad omne bonum, *mittite eum in tenebras exteriores*. Matthaei 25<sup>191</sup> idem regnum coelorum et Ecclesia comparatur decem virginibus quorum quinque erant fatuae quae non acceperunt oleum caritatis et bonorum operum et ob id exclusae sunt a regno coelesti, licet in Ecclesia militanti expectarent et confi-

1 187. Mt 3, 12.

2 188. Jn 10, 26s.

3 189. Mt 25, 32.

4 190. Mt 22, 2-13.

5 191. Mt 25, 1-12.

terentur sponsum. Item in familia et Ecclesia Christi \* non solum prius invenitur nequam qui misereri noluit proximi sui, sicut dominus illius misertus fuerat, ut habetur Matthaei 18<sup>192</sup>, sed etiam proximus nequam constitutus super familiam ut daret aliis cibum in tempore, qui tamen coepit percutere comproximos suos et manducare et bibere cum ebriosis quem Deus divisit a sua familia, ponens partem et sortem illius cum hypocritis in inferno, ubi erit fletus etc., ut habetur Matthaei 24<sup>193</sup>. Item Apocalipsis 2 et 3, quasdam ecclesias et angelos, id est ministros earum, hortatur Deus per Ioannem ad poenitentiam suorum peccatorum. Mali ergo sani in fide de Ecclesia sunt; ob id namque illis Christus sacramentum poenitentiae et alia sacramenta reliquit intra Ecclesiam quibus mundarentur a peccatis. Item Paulus de variis criminibus reprehendit Corinthios et alios aliarum ecclesiarum apud quos non proinde negat, sed affirmat esse Ecclesiam, neque malos putat non esse de Ecclesia. Fornicarium enim quem 1 Cor. 5<sup>194</sup> redarguit, indicat aperteque innuit esse de Ecclesia, nam addit: *Quid mihi de his qui<sup>h</sup> foris sunt, id est extra Ecclesiam, iudicare; nonne de his qui<sup>h</sup> intus sunt vos iudicatis? nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit; auferte malum ex vobis ipsis, separantes scilicet a vobis [f. 128v] malos et scandalosos in quos potestatem iudicandi habetis tamquam in membra Ecclesiae. Et capite sequenti fratres appellat eos qui sunt de Ecclesia ad differentiam eorum qui de ea non sunt et inter eos reprehendit delicta lethalia<sup>195</sup>. *Nolite errare, etc. Neque enim fornicarii [...] regnum Dei possidebunt*<sup>196</sup>. Matthaei 18 inquit Christus<sup>197</sup>. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit lucratus eris fratrem tuum, et infra*<sup>198</sup>: *si eos non audierit dic Ecclesiae, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, ubi in primis loquitur de fratre peccante lethaliter; nam inquit, lucratus es fratrem tuum, et propter venialem non eo cum illo est perveniendum ut sit tamquam ethnicus habendus. Deinde vero**

g. MS repete *Item in familia et Ecclesia Christi.*

h. MS: quae.

+ 192. Mt 18, 27-30.

+ 193. Mt 24, 48-51.

+ 194. 1 Cor 5, 12s.

+ 195. 1 Cor 6, 9.

+ 196. 1 Cor 6, 10.

+ 197. Mt 18, 15.

+ 198. Mt 18, 17.

quod loquitur de existente in Ecclesia patet, alias neque frater diceretur, neque adderetur, dic Ecclesiae, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus. Item agricolae illi pessimi qui non reddiderunt fructum vineae, de quibus est sermo Matth. 21<sup>199</sup> utique de vinea, hoc est de Ecclesia erant, etiam quando peccaverunt mortaliter et non fecerunt fructum eius. Nam si hoc ipso quod peccabant, desinerent esse de vinea et Ecclesia, non adderetur in poenam eorundem delictorum quod in futurum auferendum esset ab eis regnum Dei et dandum esset gentibus facientibus<sup>i</sup> fructum eius per poenitentiam. Per peccatum ergo mortale non desinit quis esse de Ecclesia. Et confirmatur, quia vinea illa, de qua Esalae 5<sup>200</sup> est sermo, utique Ecclesia synagogae est de qua dicit Deus quod expectavit ut faceret uvas et fecit labruscas, et propterea vineae suae comminatur ibi quae illic sequuntur. [f. 129r] Praeterea Ioannes 15<sup>201</sup>: *Ego sum vitis vera, inquit Christus, omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et omnem qui fert fructum purgabit eum.* Item 2 Tim. 2<sup>202</sup>, cum praemisisset Paulus: *discedant ab iniquitate omnes qui invocant nomen Domini*, id est qui christiani sunt, addidit, *in magna autem domo*, qualis scilicet est Ecclesia Dei, *non solum sunt vasa aurea et argentea*, id est, iusti, *sed etiam lignea et fictilia, et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam; si quis autem mundaverit se erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino*; ergo non solum in Ecclesia sunt iusti, sed etiam mali et peccatores. Praeterea, Paulus, 1 Cor 203 et Rom 12<sup>204</sup> et ad Ephes 4<sup>205</sup> Ecclesiam dicit esse corpus mysticum comparatque illud corpori humano, in quo non unum, sed diversa sunt membra, quae non eundem actum et functionem habent, sed diversas, per quas mutuo se adjuvant et e quibus integrum regimen corporis resultat commoditatibus et functionibus totius corporis distributis ac divisis per diversa membra. Itaque vult fideles esse in Ecclesia tamquam partes et membra in corpore mys-

i. MS: facienti.

†199. Mt 21, 33-39.

-200. Is 5, 1s.

+201. Jn 15, 1s.

+202. 2 Tim 2, 19ss.

+203. 1 Cor 12, 27.

+204. Rom 12, 5.

+205. Ef 4, 4.12.

tico et metaphorico in quo uniuntur quidem per baptismum et fidem quam in eo profiteamur, ac dona communia quae in eo recipimus. Attamen distinctio membrorum est penes varias functiones et gratias gratis datas in bonum totius Ecclesiae, quod scilicet quidam sint Apostoli, quidam prophetas, quidam habeant donum linguarum, quidam miraculorum, quidam sint pastores et praelati, atque ita varia alia munera et officia in Ecclesia, ex quibus resultat integrum regimen, pulchritudo et commoditas totius corporis, distributa sunt per [f. 129v] varias partes et membra Ecclesiae. Clarum est autem huiusmodi dona et officia esse posse cum peccato mortali in hoc corpore mystico, et republica christiana. Iudas namque apostolus erat a Christo electus et constitutus, et tamen malus et peccator. *Nonne, inquit Christus<sup>206</sup>, ego vos duodecim elegit et unus ex vobis diabolus est?* Et postquam crepuit medius et facta est domus eius deserta constituit Petrus subrogari alium loco illius, qui ei succederet in episcopatu<sup>207</sup>. Et de scribis et pharisaeis sedentibus super cathedram Moysi, et ex officio regentibus et gubernantibus populum in Ecclesia Synagogae, dixit Christus Matthaei 23<sup>208</sup>: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei, quodcumque ergo dixerint vobis facite, secundum opera vero eorum nolite facere;* quibus verbis aperte docuit propter peccata non amittere eos functionem illam, quam tamquam membra illius Ecclesiae et reipublicae habebant. Et de Caipha pessimo dicit Ioannes<sup>209</sup> quod *cum esset pontifex anni illius phophetavit*, unde peccatum non fuit in causa quod desideret esse caput et pars illius Ecclesiae, imo et quod in illo pessimo concilio eo quod esset pontifex, Deus uteretur lingua illius ad longe diversum significandum atque ipse intendebat, qua ratione inquit Ioannes eum prophetasse. Paulus item, 1 Cor 4<sup>210</sup> ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei;* et addit: *Hic iam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur, mihi autem pro minimo est ut a vobis iudicer aut ab humano die, sed neque meipsum iudico; nihil mihi conscius sum, sed neque in hoc iustificatus sum, et nolite ante tempus iudicare.* Quod si per peccatum mortale desiverit quis esse

\* 206. Jn 6, 71.

207. Cfr. Hch 1, 16-22. *N<sup>o</sup>*

\* 208. Mt 23, 2s.

+ 209. Jn 11, 51.

+ 210. 1 Cor 4, 1-5.

pars, membrum et minister Ecclesiae ac Christi, certe Paulus non pro minimo duceret [f. 130r] iudicari tamquam malum, neque doceret Corinthios non debere iudicare de moribus ministrorum Christi, si inde pendet quod ministri Christi sint et partes et membra Ecclesiae, et quod suas functiones exercent, et valida sint quae conficiunt, quin potius docere ut quam exactissime eos examinarent. Adde quod Paulus, 1 Cor<sup>211</sup> dona ipsa et munia quibus membra Ecclesiae distinguuntur et se invicem adiuvant, et propter quae aemulatio erat inter Corinthios, cui subvenire eo loco nitebatur aperte docet pertinere ad gratias gratis datas (nam penes fidem et charitatem distinctio membrorum non sumitur in Ecclesia) docetque aemulationem non debere esse propter illa quae non efficiunt aliquem meliorem et digniorem in oculis Dei possuntque esse cum peccato mortali; sed circa charitatem (quam homines habere possunt et quae efficit homines gratos Deo et dignos vita aeterna) debere esse inter illos sanctam quandam aemulationem, ut in fine capituli inquit<sup>212</sup>: *aemulamini charismata meliora*, quam scilicet sint dona et munia quibus membra in corpore mystico Ecclesiae distinguuntur; *et adhuc excellentiorem viam*, id est charitatis, *vobis demonstro*, et ad ostendendum illa alia posse esse cum peccato mortali, charitatem vero esse quae efficit aliquem simpliciter bonum apud Deum et dignum vita aeterna, subiungit statim cap. 13<sup>213</sup>: *si linguis hominum loquar et angelorum, [...] et si habuerim prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum*. Non ergo distinctio membrorum Ecclesiae est per charitatem, sed per gratias gratis datas et officia, quae possunt esse sine charitate. Et certe si Christus Ecclesiam suam (quam Paulus appellat columnam et firmamentum veritatis) instituisset dependenter ab hoc quod partes et membra eius essent in charitate, audeo dicere in [f. 130v] sapienter esse constitutam quandoquidem de iudicio illius non posset constare fidelibus, siquidem constare non posset an ille qui iudicat esset in charitate, cum Paulus de se dicat:

---

j. MS: 3.

---

† 211. 1 Cor 12, 27-30.

† 212. 1 Cor 12, 31.

† 213. 1 Cor 13, 1s.



*Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*<sup>214</sup>; frustra etiam Christus diceret<sup>215</sup>: *si te non audierit dic Ecclesiae*; cum ut de nullius charitate potest nobis constare, ita non possit nobis constare an is quem tamquam iudicem ecclesiasticum adremus esset de Ecclesia, periret etiam oboedientia Ecclesiae, quam tantopere Christus commendatam esse voluit. Denique omnia quae ministri Ecclesiae tamquam membra et partes Ecclesiae exercerent essent incerta, quo quid absurdius dici potest. In cuiusve mentem cadere potest Christum sapientiam infinitam talem rempublicam christianam et Ecclesiam militantem constituisse?

Fere his argumentis usi sunt ad hoc ipsum probandum Cyprianus 3 libro epistolarum, epistola 3, et libro 4, epistola 2<sup>216</sup>; Hieronymus adversus Luciferianos<sup>217</sup>; Augustinus, 7 tomo pluribus in locis adversus donatistas et peculiariter libro 3 contra Petilianam, cap. 2, 3, 9, 12 et 28<sup>218</sup>, et libro 1 contra Parmenianum, cap. 2<sup>219</sup>, et libro 3, cap. 4, et 5, et de Baptismo contra Donatistas, libro 3, cap. 19, et libro 4 cap. 11 et 12<sup>220</sup> et in libro contra Donatistas post collationem cap. 4 et rursus a cap. 20<sup>221</sup> per quaedam capita, et de Fide ad Petrum, cap. 43<sup>222</sup>. Unde etiam cap. Est unitas Ecclesiae de consecratione, d. 4<sup>223</sup> quod est Augustini, quibus in locis praecitatis etiam et malitiae haereticorum nostri temporis in loquendo de ministris Ecclesiae et moribus fidelium mirum in modum satisfactum invenies. Ut enim a Donatistis errorem mutuati sunt, ita etiam procacitatem loquendi de fidelibus et ministris Ecclesiae.

+214. 1 Cor 4, 4.

+215. Mt 18, 17.

o 216. CYPRIANUS, *Epistola 54*: CSEL 3 2, 621-624; *Epistola 55*: CSEL 3/2, 624-648.

c 217. HIERONYMUS, *Adversus Luciferianos* [en todo el libro; cfr. e. c. número 28]: PL 23, 163-192.

c 218. AUGUSTINUS, *Contra litteras Petiliani*, l. 3, c. 2-3: CSEL 52, 162-166; l. 3, c. 9: ib., 171ss; l. 3, c. 12: ib., 173ss; l. 3, c. 28: ib., 188s.

c 219. Id., *Contra epistolam Parmeniani libri III*, l. 1, c. 2: CSEL 51, 20-23; l. 3, c. 4s: ib., 124-136.

o 220. AUGUSTINUS, *De baptismo contra Donatistas*, l. 3, c. 19, 25-28: CSEL 51, 216-222; l. 4, c. 11 et 12: ib., 241-244.

o 221. AUGUSTINUS, *Contra partem Donati post gesta*, c. 4: CSEL 53, 100-104; c. 20-25: ib., 125-146.

o 222. FULGENTIUS RUSPENSIS, *De fide ad Petrum diaconum*, c. 43: CChr 91 A, 740s.

x 223. C. I. C., c. 49, D. 4, de cons.: Ed. Friedberg, 1, 1381: De unico baptismo contra Petilianum, c. 14, 15, nn. 24-25.

Illud est hoc loco advertendum ad intelligentiam Augustini et solutionem argumentorum quae proposita sunt: [f. 131r] quod cum Ecclesia iuxta eius significationem pro quacumque congregatione hominum accipi possit, ut disputatione praecedenti visum est, interdum sumitur ab Augustino pro sola congregatione iustorum, qui ius habent ad vitam aeternam, qui quando uniti sunt Christo suo capiti non solum per fidem (quae iuxta concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 6<sup>224</sup> nisi accedat charitas non unit perfecte cum Christo, neque efficit unionem membrorum corporis eius) sed et per charitatem. De Ecclesia ita sumpta loquitur Augustinus, libro 1 contra Cresconium, cap. 29<sup>225</sup> quando inquit: non existimo quemquam ita desipere et insanire ut credat ad Ecclesiae unitatem pertinere eum qui non habet charitatem. Et loquitur in libris De Civitate Dei<sup>226</sup>, et super psalmum 61<sup>227</sup>, ac alibi, quando Ecclesiam appellat civitatem Dei, cuius caput est Christus, et distinguit eam a civitate Babylonis, cuius caput est Diabolus, ad quem pertinent omnes mali existentes extra Ecclesiam; in qua proinde collocat Caim, de quo non legimus neque verisimile est habuisse errorem in fide. De Ecclesia eodem modo sumpta loquitur Scriptura, Eccli 3<sup>228</sup> dicens: *Filii sapientiae Ecclesia iustorum*. Interdum vero sumitur Ecclesia ab Augustino et communiter ab omnibus pro republica christiana, cuius curam commisit Christus Petro et quam tot similitudinibus explicavit. Et haec est de qua diximus non solum bonos, sed et malos comprehendere, quandiu in hoc mundo militant. In fine enim in ignem aeternum separandi sunt mali et filii boni purgati et mundi ab omni macula et ruga recipiendi sunt cum Christo in aeternum regnaturi. Easdem acceptiones duas Ecclesiae distinguit Hieronymus in commentario super epistolam ad Galatas<sup>229</sup>.

[f. 131v] Ut ad argumenta proposita diluenda accedamus illud advertendum est per synecdochem nos persaepe toti tribuere quod parti dumtaxat convenit, idque maxime quia de populo, republica

○ 224. *Concilium Tridentinum*, sess. 6, c. 6: COeD, 673, 38-40.

○ 225. AUGUSTINUS, *Contra Cresconium*, l. 1, c. 29, 34; CSEL 52, 353s.

○ 226. *Id.*, *De Civitate Dei*. Véase, por ejemplo, l. 15, c. 1: CChr 48, 454, y otros muchos pasajes.

○ 227. *Id.*, *Enarrationes in Psalmum 61*, 4: CChr 39, 774s.

— 228. Eccl 3, 1.

○ 229. HIERONYMUS, *Commentarii in IV epistolas Paulinas (ad Galatas...)*, l. 1, c. 1 [ad v. 2]: PL 26, 337 C.

aut congregatione alia loquimur. Dicimus enim populum aliquem aut gentem robustam non quod omnes tales sint. Dicimus etiam homines alicuius religionis sapientissimos, licet non omnes, sed pauci comparatione totius congregationis tales sint. Hac ratione mos est Scripturarum Sanctarum eundem populum modo tamquam malum et pessimum reprehendere, propter malos qui in eo sunt, atque ita reprehendere quasi in eo non essent boni, et modo laudare atque de eo loqui propter bonos ac si in eo non essent mali, quod non solum fecisse prophetas sed etiam Paulum 1 Cor<sup>230</sup> cum Corinthiis ipsis agens, ostendit egregie Augustinus in libro contra Donatistas, post collationem cap. 20<sup>231</sup>.

Hoc praehabito ad primum argumentum dicendum est Ecclesiam Catholicam dici sanctam, non quod in ea non sint et mali et peccatores, sed per synecdochen a praecipua parte ipsius, videlicet a iustis qui praecipua pars sunt in ea. Non est eadem ratio quod propter malos dicatur etiam mala, quandoquidem non ratione malitiae sunt de Ecclesia, sed ratione eius quod in ipsis sanctum et bonum est, nimirum ratione fidei, characteris aliorumque donorum aut officiorum quae in Ecclesia exercent, quae omnia bona et sancta sunt, et ob rationem eorum christiani in universum sancti ab apostolo Paulo dicebantur, et appellati sunt ab Apostolis in illo Symbolo, *sanctorum communionem* (licet etiam per synecdochem loquentes de omnibus in universum fidelibus sanctos eos potuerint appellare). Quare licet concedi [f. 132r] possit homines huius Ecclesiae, ut plurimum hodie malos esse et peccatores, non tamen concedi potest neque debet Ecclesiam propter eos esse malam, quia Ecclesia non supponit pro eis ea ex parte qua mali sunt, sed qua boni et Deo dicati in baptismo per characterem et fidem quam professi sunt: quod autem Deo dicatum est, sanctum consuevit appellari, neque negligendum est hoc loco adversus Lutheranos testimonium ducis quem sequuntur. Lutherus namque (ut Canus, 4 de locis, capite ultimo ante solutionem 7 argumenti refert)<sup>232</sup> in quodam sermone explicans qua ratione Ecclesia sancta dicatur, cum in ea multi sint mali, a veritate compulsus ait per synecdochem dici sanctam ratione bo-

† 230. 1 Cor 10. 5.

© 231. AUGUSTINUS. *Contra partem Donati post gesta*, c. 20: CSEL 53, 125-134, principale el n. 31: p. 132.

232. CANO, *De locis*, l. 4, c. postremum [6]: Ed. Serry c., 1, 289.

norum, quemadmodum idem populus a prophetis arguitur cum multi sint in eo boni et rursus laudatur, cum multi sint mali. Et addit pulcherrimae charitatis eam esse figuram quae communia facit omnia bona et communia omnia mala, ut alter alterius onera portet et sic adimpleat legem Christi. Hactenus Lutherus.

Quod attinet ad confirmationem, Canus, 4 de locis, cap. ultimo ad 7<sup>233</sup> et sequentia, in primis admonet Paulum ad Ephes 5<sup>234</sup> non dixisse Christum exhibuisse sibi Ecclesiam sine macula et ruga, sed seipsum tradidisse ut talem sibi eam exhiberet. Deinde vero licet expositionem quam subiiciemus non reiiciat, inclinatur tamen eum locum et reliqua quae in illo adducuntur, intelligenda esse de Ecclesia militante per synecdochem, ita scilicet ut quod quibusdam fidelibus pro statu praesentis vitae convenit, ratione eorum Ecclesiae pro eodem statu tribuatur: baptismus namque non solum parvulos omni ex parte mundos et sine macula et ruga relinquit, sed etiam adultos, delens prorsus in eis omnem culpam, et omne debitum poenae quo ratione culpa tenebantur, perfecte que eos rege[f. 132v]nerans in filios Dei. Ratione ergo horum (inquit) Ecclesia illis in locis dicitur sine macula et ruga, et dicitur tota pulchra et columba atque perfecta, licet multos non tales etiam contineat. Dicitur etiam ratione quorundam aliorum qui peccatis mortalibus carent, et contra venialia strenue se gerunt, ardoribusque charitatis et aliis bonis operibus ea extinguunt, qui immaculati non immerito dicuntur, non omnino, sed ut patitur humana fragilitas, iuxta illud Regii Prophetiae: *ero immaculatus cum eo*<sup>235</sup>, et modum explicans addit, *et observabo me ab iniquitate mea*, et rursus: *beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*<sup>236</sup>. *Non enim qui operantur iniquitatem in viis eius ambulaverunt*. Nomine iniquitatis peccatum mortale intelligens, quemadmodum etiam Ioannes prima sua canonica<sup>237</sup> saepe nomine peccati et iniquitatis solum mortale intelligit, ut cum D. Hieronymo late ostendit Canus, loco citato<sup>238</sup>. Illud vero Esaiiae 52<sup>238</sup>: *Non adiiciet ut pertranseat*, etc. exponit Canus quod incircuncisus et barbarus populus non sit amplius Ecclesiam Dei oppressurus, quemadmodum opprimit aliquid qui pede illud cal-

233. *Ib., Ib.*, l. 4, c. 6: Ed. Serry c., 290.

+ 234. *Ef* 5, 25ss.

- 235. *Sal* 17, 24.

- 236. *Sal* 118, l. 3.

237. Véase, por ejemplo: 1 *Jn* 5, 17. *ND*

- 238. *Is* 52, 1.

cat, quasi ut alii dicunt, idem sit sensus atque illorum verborum Matthaei 16<sup>239</sup>, *portae inferi non praevalent adversus eam*.

Placet magis haec omnia loca exponamus cum Augustino, 2 Retractationum, cap. 18<sup>240</sup>, et libro contra Donatistas, post collationem cap. 18<sup>241</sup>, et in libro de perfectione iustitiae<sup>242</sup>; Hieronymo, in cap. 3 Iheremiae<sup>243</sup>; Bernardo, homilia 3 in festo omnium sanctorum<sup>244</sup>; D. Thoma, 3 p., q. 8, art. 3 ad 1<sup>245</sup>; et cum aliis de Ecclesia quoad statum alterius vitae, quod indicat verbum illud ad Ephes 5<sup>246</sup>: *Ecclesiam gloriosam*. Baptimus enim quo eam sanctificat Christus, et caetera quae ex passione Christi vim habent ad illam mundandam et purgandam, ordinantur ad hoc ut sine macula et ruga sit in ingressum ad vitam aeternam, quando ad thalamum sponsi recipietur; [f. 133r] in hac autem vita etiam in baptizatis, si adulti sint manere solent rugae malorum habituum et in ipsis atque in pueris manent vulnera et effectus peccati originalis. Verbum etiam illud: *Tota pulchra*, indicat quod locus ille Canticorum 4<sup>247</sup> intellectus de Ecclesia, loquatur de Ecclesia non secundum statum huius vitae, sed alterius; non tamen omnino displicent expositiones Cani.

Ad secundum dicendum est nullum esse inconveniens quod aliquis simul sit membrum mortuum Christi et Ecclesiae, imperfecte unitum Christo per fidem sine charitate in Ecclesia, ut Ecclesia dicit rempublicam christianam; et quod simul sit membrum Diaboli, pertineatque ad civitatem Babylonis. Civitas enim Babylonis non ab Ecclesia, ut dicit rempublicam christianam, ita distinguitur, quasi nullus qui ad Ecclesiam christianam pertinet pertineat ad civitatem Babylonis; hoc enim modo ab Ecclesia pro coetu iustorum qui Ierusalem et civitas Dei appellatur ab Augustino, distinguitur, ut ex supra dictis, patet. Ad illud vero quod ad probationem consequentiae adducitur quod non sit conventio

+ 239. Mt 16, 18.

o 240. AUGUSTINUS, *Retractationum* l. 2, c. 44 (18): CSEL 36, 152ss.

o 241. Id., *Contra partem Donati post gesta*, c. 9, 12: CSEL 53, 109, 12-18.

c 242. Id., *De perfectione iustitiae hominis*. Véase, por ejemplo: 9, 20: CSEL 42, 18ss; 15, 34: ib., 34-37, etc.

o 243. HIERONYMUS, *In Ieremiam prophetam libri sex*, l. 1, 44 [c. 2, 32]: CSEL 59, 36; l. 6, 29 [c. 31, 38ss]: ib., 413.

o 244. BERNARDUS, *Homilia 3 in festo omnium sanctorum*, 2: PL 183, 469 C-D.

245. THOMAS AQUINAS, *Summa theologiae*, 3 p., q. 8, a. 3 ad 2: Ed. Leonina, t. 11, Roma 1903, p. 129 b.

+ 246. Ef 5, 27.

- 247. Cant 4, 7.

lucis ad tenebras etc. dicendum est Paulum 2 Cor 6<sup>248</sup> praemississe: *Nolite iugum ducere*, id est, consuetudinem et familiaritatem habere, ut communiter exponunt; aut ut Caietanus<sup>249</sup> et Catharinus<sup>250</sup> in eum locum melius meo iudicio exponunt, inire convivia et portare iugum matrimonii cum infidelibus, et ad id eis suadendum addidisse, *quae participatio iustitiae cum iniquitate?*<sup>248</sup> etc., id est, non quadrat coniunctio et societas iustorum quales esse debent fideles et quos significat nomine iustitiae et lucis, cum iniquis infidelibus quos nomine iniquitatis et tenebrarum intelligit, neque etiam quadrat coniunctio et participatio fidelium qui sunt Christi cum infidelibus qui sunt Belial. [f. 133v] Christus namque et Belial diversissimas suis leges praescribunt, neque poterit esse consensus qualis debet inter eos qui sunt templum Dei et eos qui serviunt idollis. *Quare*, inquit, *exite de medio illorum et separamini*<sup>251</sup> ab eis ne ab ipsis inficiamini et pertrahamini ad peccata. Hinc vero non video quid aliud sequatur ad propositum inferendum, nisi simili modo non quadrare aliquem simul esse christianum in Ecclesia et republica Christi, et simul esse in peccato mortali; licet autem non quadret et non sit aequum ita esse, attamen non sunt illa impossibilia; quemadmodum non est impossibile fidelem immo et iustum matrimonium et consuetudinem habere cum infideli. Non ergo repugnat idem subiectum imperfecte esse unitum Christo in Ecclesia per fidem tamquam membrum mortuum et simul eatenus esse membrum Diaboli quatenus mortuum membrum est existens in peccato mortali, et ad iurisdictionem Diaboli pertinet ut in aeternum crucietur.

Quod attinet ad tertium argumentum, admittit Canus, 4 de locis cap. ultimo ad 9<sup>252</sup> existentes in peccato mortali non esse membra Ecclesiae; attamen affirmat esse partes Ecclesiae, nam, inquit, pars relative dicitur ad totum quodcumque, membrum vero non dicitur nisi id quod vivit, et comparatione totius quod est vivens cuius sit membrum. Puto tamen admittendum esse, esse membra Ecclesiae tametsi non sint viva per charitatem et

+ 248. 2 Cor 6, 14.

249. CAIETANUS, *In omnes D. Pauli et aliorum Apostolorum epistolas Commentarii* [in 2 Cor 6, 14]: Lyon 1639, p. 175s.

250. CATHARINUS, AMBROSIVS, *In omnes Pauli Apostoli et alias septem canonicas epistolas* [in 2 Cor 6, 14]: Paris 1566, p. 223 b.

+ 251. 2 Cor 6, 17.

252. CANO. *De locis*. l. 4, c. postr., ad 9: Ed. Serry c., 1, 300.

gratiam, sed mortua per peccatum mortale; primo, quia ita communiter loquuntur sancti et doctores, et ita loquendum esse innuit concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 7<sup>253</sup> dum inquit, fidem sine charitate non unire perfecte Christo neque efficere membrum vivum corporis eius; ubi innuitur efficere membrum Ecclesiae, sed mortuum; et secundo [f. 134r] quia aliud est loqui de membro proprio, et aliud de membro metaphórico. Licet enim ad membrum proprium requiratur quod et vivum sit, et corporis vivi, attamen ad membrum metaphoricum id non requiritur, sed satis est quod in eodem corpore metaphórico imitetur suo modo membrum vivum; membra autem Ecclesiae sive vivant vita spirituali per charitatem sive non, numquam sunt membra nisi metaphórica. Quia ergo partes Ecclesiae per hoc dicuntur membra Ecclesiae, quod sicut in corpore humano non omnia membra eundem actum habent, ita ad diversas partes Ecclesiae pertinent diversa exercitia, aut propter diversas gratias gratis datas quas acceperunt, aut propter diversa officia et dignitates ad quas assumuntur et deputantur in Ecclesia, ut in superioribus ex Paulo 1 Cor 12<sup>254</sup> explicatum est, fit ut cum ad illa diversa exercitia et ad diversitatem illam partium Ecclesiae non requiratur vita per charitatem et gratiam, partes Ecclesiae non minus dici possunt membra Ecclesiae sive vivant per charitatem sive non, quam partes alterius reipublicae membra reipublicae dicuntur, esto non vivant per charitatem. In eo enim quod dicendo membrum additur Ecclesiae denotatur quod est sermo de membro metaphórico. Quia tamen respublica christiana ad charitatem et gratiam ordinatur, ut ea mediante homines vitam aeternam consequantur, fit ut quemadmodum fides in vivam et mortuam dividitur, et fides mortua vere et simpliciter est fides, quia de ratione fidei non est vita per charitatem, sicut de ratione hominis est vita per animam, ita membrum Ecclesiae dividatur in vivum et mortuum, et quod membrum Ecclesiae mortuum simpliciter dicatur membrum Ecclesiae, quia non de ratione membri Ecclesiae est vita per charitatem [f. 134v] quemadmodum de ratione intrinseca membri animalis est vita per animam. Quando ergo communiter dicitur quod sicut in corpore animalis quaedam sunt membra viva et quaedam arida aut putrida colligata vivis in eodem corpore animalis, ita in Ec-

C 253. *Concilium Tridentinum*, sess. 6, c. 7: COeD, 673, 38-40.

\* 254. 1 Cor 12, 27-30.

clesia quaedam sunt membra viva Ecclesiae, et quaedam mortua, colligata vivis in eodem corpore Ecclesiae. Adverte quod licet sit recte dictum, cernitur tamen hoc discrimen: quod membra arida et putrida animalis quae non vivunt simpliciter non sunt membra animalis, sed secundum quid et cum hoc addito, videlicet arida et putrida, propterea quod ut de ratione intrinseca animalis cuius sunt membra, est vita per animam, ita de ratione ipsorum. At vero membra arida et putrida Ecclesiae absolute sunt membra Ecclesia, quia neque de intrinseca ratione Ecclesiae aut partium eius est vita per gratiam, sed eis accidit, licet ad eam ordinentur.

Illud addam, quod sicut fideles qui in peccato mortali sunt, partes et membra absolute sint Ecclesiae ita absolute et vere sunt christiani, ut patet ex concilio Tridentino, sess. 6, can. 28<sup>k255</sup> qui ita habet: "Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul etiam fidem semper amitti, aut fidem quae remanet non esse veram fidem, licet non sit vivam, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit". Non ergo placet, neque videtur tutum, quod Vega, libro 14 super concilium Tridentinum, canon 28<sup>256</sup> dicit, videlicet non esse vere christianos qui solam fidem habent sine charitate; si namque vere christiani non sunt, utique absolute christiani non sunt, cuius tamen contrarium vere absolute affirmat Concilium, damnans absolute partem negativam. Quod si Vega solum [f. 135r] velit (ut de fide mortua paulo ante dixerat) quod quemadmodum fides mortua ad eum sensum dicitur vera fides quod habet propriam rationem formalem fidei, et ad eum sensum dicitur non vera fides quod [non] habet perfectionem gratiae et charitatis quam postulat et quam diceret habere adiunctam; ita christianus existens in peccato mortali ad eum sensum diceretur esse vere christianus quod haberet rationem formalem christiani, quae in vera fide per baptismum protestata consistit; et ad eum sensum non diceretur vere christianus quod non esset qualis esse decet vere christianus et qualis postulat esse eius professio et status, non ei adversaremur.

---

k. MS: 27.

C 255. *Concilium Tridentinum*, sess. 6, can. 28: COeD, 681, 4-6.

256. VEGA, ANDRÉS, *De iustificatione doctrina universa libris XV absolute tradita*, l. 14, c. 10: Colonia 1572, p. 628 b.



Nam ad eum sensum dicit Christus, Ioannis 1<sup>257</sup>, de Nathanael: *Ecce vere israelita, in quo dolus non est*. Ecce israelita quales eos esse decet, et ea formula loquendi utimur etiam in multis aliis rebus, iuxta quam explicandi sunt sancti, si apud aliquem legatur eos qui sunt extra gratiam non esse christianos, aut non esse vere christianos; ut cum Vega discrimen constituat inter fidelem et christianum dicens quod qui est extra gratiam<sup>1</sup> est vere fidelis, sed non est vere christianus, certe non probamus quod dicit. In hactenus dictis tota hac responsione convenit nobiscum Soto, 2 De natura et gratia, cap. 8<sup>258</sup>.

His praehabitis ad argumentum in forma concessa antecedente neganda est consequentia, propter diversam rationem et disparitatem assignatam. Et ad id quod advertunt ex prima Cor 12<sup>259</sup> dicendum est Paulum non affirmare membra Ecclesiae ita esse affecta, sed ita decere, ut ea etiam in parte constituuntur membra corporis humani, sicut imitantur in hoc quod est esse membra et habere diversas functiones in eodem corpore.

Ad quartum dicendum est quod licet Ioannes 10<sup>m260</sup> nomine ovi[f.135v]um soli iusti intelligantur, inde non sequitur quod ad ovile et Ecclesiam Christi soli iusti pertineant; licet enim ab ovibus ovile dicatur, non inconvenit quod ovibus permixtis habeat haedos, esto ab eis non denominetur. Addeque quod in Sacris Literis oves interdum sumuntur promiscue pro fidelibus tam bonis quam malis, ut ibi: *iratus est furor tuus super oves pascuae tuae*<sup>261</sup>, pastoresque destinati sunt non solum ad regendos fideles bonos, sed etiam malos. A pastoribus namque Ecclesiae requirendum est an quod infirmum fuerit consolidaverint, et quod aegrotum sanaverint<sup>262</sup>, etc. Quare ovile Ecclesiae oves tam sanas quam morbidas continet.

---

1. MS: un non tachado.  
m. MS: 20.

---

+ 257. Jn 1, 47.

258. Soto, DOMINGO, O. P., *De natura et gratia*, l. 2, c. 88, prop. 2: Salamanca 1554, ff. 126r-128r.

+ 259. 1 Cor 12, 14-26.

+ 260. Jn 10, 3s, 14s.

- 261. Sal 73, 1.

262. Cfr. Ez 34, 16. NJ

**Utrum Ecclesia visibilis sit et conspicua  
an invisibilis et occulta.**

**Disputatio 3.**

Multi ex haereticis nostri temporis negant Ecclesiam esse visibilem affirmantque esse occultam. Et argumentatur Brentius<sup>263</sup> adversus catholicos quod si esset visibilis auferendus esset nobis articulus ille fidei, *credo sanctam Ecclesiam catholicam*, quandoquidem de his quae videntur non est fides.

Est tamen constantissime affirmandum esse visibilem et conspicuam. Est namque civitas illa supra montem posita, et quae abscondi non potest, ut habetur Matthaei 5<sup>264</sup>. Atque ut antequam testimonia citemus, ex re ipsa veritatem hanc ostendamus. Ecclesia christiana non est aliud quam congregatio fidelium in unum corpus mysticum, in quod, ut Paulus 1 Cor 12<sup>265</sup> ait incorporamur per baptismum, et profiteamur veram fidem variis signis sensibilibus aliaque atque alia officia pertinent ad aliam atque aliam partem seu membrum eius. Cum ergo corpus de quo constat, haec illi convenire conspiciatur, fit ut Ecclesia visibilis sit et conspicua, non vero occulta, ut haeretici affirmant. [f. 136r] Ut vero intelligas quod contendimus hoc loco et in quo dissentimus ab haereticis, adverte quod quemadmodum ad hunc sensum baptismus visibilis est et conspicuus quod id quod ex Scripturis constat esse baptismum, revera conspicitur quando exhibetur, possumus illud affirmare et dicere: "ecce hoc est baptismus", non vero quasi videamus esse sacramentum aut conferre gratiam vel esse institutum a Christo, quia haec omnia fide tenemus, ita ad eum sensum dicimus Ecclesiam esse visibilem et conspicuam, quia id de quo ex Scripturis et fide constat habere rationem Ecclesiae non est occultum sed conspicitur possumusque illud assignare et dicere: "ecce hoc est Ecclesia", certitudine saltem morali quod illud sit Ecclesia, suppositis his quae constant ex Scripturis et fide ca-

263. BRENTIUS [BRENTZER, BRENZ], JUAN. No hemos podido verificar esta cita en Brenz. Hosius, O. C. (Confutatio Prolegomenon Brentii), l. 3: ed. c., f. 249r, trae la cita de Molina. Quizá tomara Molina esta cita de Hosio. Cfr. etiam. l. 5, f. 275, donde prueba contra Brenz que la Iglesia no es sólo la reunión de los que creen o de los elegidos.

264. Mt 5, 14.

265. 1 Cor 12, 13.

De iuris

tholica. Ex varia ergo ratione Ecclesiae quam nos et haeretici iuxta Scripturas assignamus pendet haec controversia. Haeretici namque affirmantes Ecclesiam iuxta Scripturas constare solum ex praedestinatiis aut ex iustis, cum non constet quinam iusti sint aut praedestinati dicunt Ecclesiam invisibilem esse et occultam; nos vero affirmantes iuxta Scripturas Ecclesiam esse congregationem fidelium profitentium veram fidem, cum constet quaenam congregatio sit, quae iuxta Scripturas et traditiones retinet veram fidem, dicimus Ecclesiam non esse occultam, sed conspicuam et notam, quam quis qui fide errare noluerit, cognoscere potest et assignare. Quare cum disputatione praecedenti ostensum sit id ex quo pendet haec controversia facileque ex ea pateat contrarium esse errorem in fide; ex eadem quoque disputatione patet dicendum esse Ecclesiam visibilem esse et conspicuam ad sensum explicatum in quo catholici loquuntur.

Obiicies: sicut gratia est occulta, ita ut non constet quis sit in gratia, ita et fides; ergo sicut non constat qui sint [f. 136v] iusti, ita non constat qui sint fideles. Quare cum Ecclesia sit congregatio fidelium, fit ut non constet ubi sit, ac proinde fit ut non sit visibilis, sed occulta. Ad hoc argumentum, dicendum est in primis, quod cum ex Scripturis constet numquam defuturam veram Ecclesiam in orbe, et (ut ex sequentibus patebit) constet hanc esse Ecclesiam Romanam in qua est cathedra Petri, cum omnibus qui ei uniti sunt, fit ut ex ipsismet Scripturis constet in Ecclesia Romana esse fideles et eos esse veram Ecclesiam. Quare hodie assignantes Ecclesiam Romanam quam cognoscimus et videmus, assignantesque collectionem patrum atque pastorum illius qui in conciliis universalibus conveniunt assignamus homines fideles et veram Ecclesiam de qua non est quod dubitemus an talis sit. Deinde, ad argumentum negandum est tam occultum esse qui sit fidelis aut quis sit in gratia; gratia enim ex pluribus pendet, de quibus omnibus non potest nobis constare propter nostram fragilitatem; adeoque frequens est homines esse in peccato mortali propter eorum malitiam, fragilitatem et multitudinem occasionum ac tentationum ad peccandum, ut ex natura rei improbable non sit maiorem partem eorum qui exterius profitentur veram fidem non esse iustos et in gratia. At vero fides ex paucioribus pendet, neque sunt sat occasiones eam amittendi raroque invenitur aliquis qui exterius profiteatur veram fidem, et fictus sit, eaque careat inte-

rius. Quare ex natura rei improbable est assignata multitudine hominum quos exterius sua sponte videmus confiteri et profiteri veram fidem iuxta Scripturam et Ecclesiam Romanam eos non esse fideles, licet non inconveniat unum aut alterum inter eos (qui quasi nihil est comparatione tantae multitudinis) esse fictum carereque fide interna. Quare assignata Ecclesia Romana [f. 137r] et patribus ac pastoribus illius, quos exterius videmus confiteri et profiteri veram fidem, non solum improbable est multitudinem eorum non esse veram Ecclesiam, sed etiam certum est certitudine saltem morali eos esse veram Ecclesiam, suppositis Scripturis et his quae fide catholica tenenda sunt. Quo fit ut magis conspicua et nota sit Ecclesia ad sensum explicatum quam sit baptismus aliquis quem ab alio videmus exerceri. Quod enim ille quem videmus sit baptismus pendet ex intentione conferentis, qui unus tantum est, de quo non est tam certum illam habere quam certum est multitudinem hominum sua sponte profitentium veram fidem regulariter et communiter interius non esse fictos eamque retinere, maxime si ad divinam providentiam et assistentiam Spiritus Sancti super Ecclesiam universalem ne erret aut fallat, aspicias, propter quam assistentiam ex scripturis constat Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis. Adde quod inferius discutendum restat quod pastores Ecclesiae haeretici quamdiu non deponuntur, partes sunt Ecclesiae; quod attinet ad hoc quod functiones quae ex officio alias illis convenirent, cassae non sint, sed eandem vim habeant ac si non essent haeretici, ut v. g. utrum id quod definiret Summus Pontifex haeticus tamquam caput Ecclesiae tam certum sit quamdiu non deponitur, ac si esset catholicus.

His ita constitutis addamus reliqua quibus confirmemus Ecclesiam non esse occultam, sed conspicuam et notam iis qui seipsum nolunt obcaecare. In primis si Ecclesia occulta esset non diceret Christus: *Dic Ecclesiae, et si Ecclesiam non audierit sit tibi tamquam ethnicus*<sup>206</sup>; nisi enim quis Ecclesiam agnoscat, quomodo ei denunciavit de fratre, quomodo et habebit fratrem tamquam ethnicum si Ecclesiam non audierit, de qua ei non constat an sit Ecclesia? Peribit ergo oboedientia Ecclesiae statimque ei opponere poterit frater peccans, Ecclesiam, quam non audit, non constare an sit Ecclesia. Deinde [f. 137v] Ecclesia columna est et firmamentum veritatis, quam sequi debemus in his quae sunt

fidei, et ad quam hac in parte nos remittunt Apostoli in illo Symboli "Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam", ad eiusque tribunal et iudicium dirimendae sunt controversiae fidei. Est ergo conspicua et manifesta tamquam lucerna super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt<sup>267</sup>, qualis revera fuit Antiochenis qui orta illa controversia fidei circa observationem legalium ad illius tribunal et iudicium eam detulerunt, ut habetur Act 15<sup>268</sup>. Non ergo occulta et ignota est Ecclesia, quae supra dicta praestare non posset, et cui frustra tributa sit talis potestas ut revera frustra tributa erit si de ea non constet ubi et quae sit. Ita Act 20<sup>269</sup> in auribus Ecclesiae Ephesi ait Paulus: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Quod si illi Ecclesiam Dei non agnoscebant neque videbant quae esset quomodo illam regebant? Quomodo iam pastores in Ecclesia cognoscere possunt gregem suum et subditi praelatos et subiacere illis iuxta praeceptum Pauli, si Ecclesia invisibilis est et occulta? Item, 3 Regum 8<sup>270</sup> *convertit rex Salomon faciem suam, et benedixit omni Ecclesiae Israel et omnis Ecclesia [Israel] stabat* quod si Ecclesia invisibilis esset et occulta, quomodo id de Salomone diceretur? Praeterea Paulus 1 Tim 5<sup>271</sup> docet Timotheum *quomodo oporteat eum in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*, et quomodo oporteat eam regere, quomodo autem in ea conversabitur et quomodo eam reget si eam non videt et agnoscit, sed est ei occulta? Augustinus, epistola 48<sup>272</sup> affirmat quod ubi Ecclesia manifesta non est, ibi Christus manifestus non est; qui per Ecclesiam etiam Angelis innotescit, ut Paulus affirmat<sup>273</sup>. Vide etiam con[f. 138r]cilium provinciale Senonense, in decretis fidei cap. 2<sup>274</sup>, in 3 tomo conciliorum, ubi eadem veritas definitur. Propter haec et his similia respicit hac in parte

† 266. Mt 18, 17.

267. Cfr. Mt 5, 15.

268. Cfr. Hch 15, 5s. *W J*

† 269. Hch 20, 23.

— 270. 1 Reg 8, 14.

† 271. 1 Tim 3, 15.

○ 272. AUGUSTINUS, *Epistola* 93, 7, 23: CSEL 34 2, 468, 22-24: «Quo modo autem fidimus ex divinis litteris accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus et ecclesiam manifestam?».

273. Cfr. 1 Tim 3, 15s; 1 Cor 4, 9. *W J*

○ 274. *Concilium Senonense*, decr. 2: Puede verse en: JOVER, FRANCISCO, *Sanctiones Ecclesiasticae tam Synodicae quam Pontificiae*, Paris 1555, Tertia sectio secundae classis continens recentiora Concilia, f. 2r-v.

Philippus Melancthon, ut Osius, 3 libro adversus Brentium<sup>275</sup>, refert, constanterque affirmavit Ecclesiam esse visibilem.

Ad argumentum ergo Brentii, dicendum est quod sicut Thomas videndo Christum fide catholica credebat eum quem videbat esse Deum, et sicut qui baptizat, videndo se baptizare, fide catholica credit baptismum esse sacramentum et conferre gratiam, quia de his non habet evidentiam, ita qui in hunc sensum videmus Ecclesiam, quod videmus id, quod in Scripturis per fidem nobis constat esse Ecclesiam, retinemus fidem quod illud est Ecclesia; quia Scripturae iuxta quas id nobis constat non sunt nobis evidenter verae, sed fide tenemus eas esse veras. Adde quod articulo illo, "Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam", confitemur eam esse columnam et firmamentum veritatis, et quod quidquid fide tenendum amplectimur tale est in se revera, de quo non habemus evidentiam. Non ergo ex eo quod ad sensum explicatum Ecclesiam videamus inferendus nobis est articulus ille.

<sup>n</sup>Quae sequuntur fere sunt quae restabant disputanda in hoc articulo. Utrum Summus Pontifex pastor et caput sit universalis Ecclesiae christianae, ita ut schismatici et extra Ecclesiam sint quicumque a Summo Pontifice et Ecclesia Romana sunt divisi; utrum summus pontificatus inseparabilis sit ab episcopatu Ecclesiae romanae. De notis quibus dignoscenda est vera Ecclesia universalis. Utrum Ecclesia universalis errare possit in his quae ad fidem et mores pertinent. Utrum concilium universale legitime congregatum repraesentet Ecclesiam universalem, et ob [f. 138v] id similiter errare non possit. Utrum concilium universale indigeat confirmatione Summi Pontificis et errare non possit. Utrum pontifex summus possit errare in definiendis his quae ad fidem et mores pertinent. Utrum summus pontifex possit esse haereticus et utrum aliquis talis aliquando fuerit. Utrum hoc ipso quod esset haereticus antequam ab Ecclesia deponeretur desineret esse Summus Pontifex. Utrum concilium universale legitime congre-

n. Hay una nota marginal que dice: «Haec omnia disputantur infra a folio 276 usque ad folium 354 inclusive». En el texto lo editamos a continuación por ser su lugar apropiado.

275. HOSIUS, ESTANISLAUS, *Confutatio prolegomenon Brentii*, l. 3: Opera omnia, Venecia 1573, f. 249v.

gatum sit supra summum Pontificem, an Summus Pontifex supra reliquum concilii. De autoritate conciliorum provincialium. Haec et quaedam alia quae cum his sunt coniuncta, erat animus disputare in hoc articulo, quoniam vero paucis dici non possunt multumque in praecedentibus immorati sumus videmurque iam excedere limites brevitatis quae in dictatis exigitur satis duxi illa ad finem usque huius materiae peculiari tractatui reservare. De his rebus inter alios vide interim Canum, 4, 5 et 6 de locis<sup>276</sup>, Driedonium, de Ecclesiasticis dogmatibus, lib. 4, potissimum a cap. 3<sup>277</sup> et De libertate christiana, cap. 9 consideratione 4 et, a cap. 13<sup>278</sup>; Castrum, lib. 1 Adversus haereses, cap. 6, et verbo *Concilium*, atque verbo *Papa*<sup>279</sup> et De iusta haereticorum punitione, lib. 1, a cap. 15, et libro 2, a cap. 23<sup>280</sup>; Pygium, De hierarchia ecclesiastica<sup>281</sup>; Turrecremata, in Summa<sup>282</sup>; Victoria, in relectione De potestate Ecclesiae et concilii<sup>283</sup>; Osium, in Confessione fidei, tractatu de fide et symbolo, a cap. 20<sup>284</sup> et lib. 2 Adversus Brentium, de legitimis iudiciis<sup>285</sup>; et Caietanum, in tractatu De comparatione autoritatis Papae et Concilii<sup>286</sup> et in Apologia de eadem re<sup>287</sup> atque in tractatu De institutione Romani Pontificis<sup>o</sup>.

o. En nota marginal dice: «Hic inserendae sunt disputationes aliae a 4<sup>a</sup> usque ad 18, quae habentur infra, folio 276 usque ad 354 inclusive».

276. CANO, MELCHOR, *De locis*, l. 4, 5 et 6: Ed. Serry c., 1, 232-452.

277. DRIEDO, Juan, *De ecclesiasticis scripturis et dogmatibus*, l. 4, c. 3: ed. c. a p. 223 B.

278. *Id.*, *De libertate christiana*, l. 1, c. 9, cons. 4: ed. c., f. 30r D; c. 13 et 14: *ib.*, f. 37v ss.

279. CASTRO, ALFONSO DE, *Adversus haereses*, l. 1, c. 6: Ed. Amberes 1565, f. 13 A-15 D; v. *Concilium*: *ib.*, ff. 124 b-127 a; v. *Papa*, l. 12: *ib.*, ff. 338 b-343 a.

280. *Id.*, *De iusta haereticorum punitione*, l. 1, a cap. 15: ed. Salamanca 1543, a p. 46, col. 4; l. 2, a cap. 23: *ib.*, a p. 159, col. 4.

281. PYGIUS, ALBERTO, *Hierarchiae ecclesiasticae assertio*, l. 6: Colonia 1544, ff. 322v-408r. Trata de algunos de los temas.

282. TORQUEMADA, JUAN DE, O. P., *Summa de Ecclesia*: Venecia 1561. Los cuatro libros de esta obra tratan de estos temas.

283. VITORIA, FRANCISCO, O. P., *Relectio IV: De potestate Papae et Concilii*: Venecia 1624, pp. 123-163.

284. HOSIUS, *Confessio catholicae fidei Christiana*, c. 20: ed. c., f. 12v. A partir del cap. 20 trata de las notas de la Iglesia.

285. *Id.*, *Confutatio prolegomenon Brentii*, l. 2: De legitimis iudiciis rerum Ecclesiasticarum. En este libro trata, en efecto, de algunos de los puntos que aduce Molina: ed. c., f. 213, 224, 225, etc.

286. CAIETANUS, *De comparatione autoritatis Papae et Concilii*: Opusculorum t. 1, tr. 1, ed. Venecia 1588, p. 5-31.

287. *Id.*, *De comparata autoritate Papae et Concilii, Apologiae Pars prima, Pars secunda*: *ib.*, 31-48; *De divina institutione Pontificatus totius Ecclesiae in persona Petri Apostoli*: *ib.*, 48-68.

[f. 276r]. **Utrum Summus Pontifex pastor sit et caput totius Ecclesiae universalis.**

#### Disputatio 4.

Constituto, quod sit Ecclesia, qui censeantur partes ipsius et qualis ea sit, disputandum est de capite et pastore universali illius, utrum scilicet ex institutione Christi Petrus et successores illius Episcopi urbis Romae, quos Summos Pontifices appellamus, sint pastores universales Ecclesiae christianae et capita tamquam Vicarii Christi, quibus omnes in universum fideles sint subiecti. Huic quaestioni respondetur affirmative, et est conclusio certissima in fide; quam qui negant haeretici, nescio quid non audebunt negare. Probatur 1.<sup>o</sup>, ex illo Matthaei 10<sup>288</sup>, *duodecim apostolorum nomina haec sunt: Primus Simon qui dicitur Petrus et Andreas frater eius, Iacobus, etc.* ubi Petrus a Matthaeo dicitur primus Apostolorum, quod intelligi nequit tempore aut vocatione, quandoquidem Andreas prius quam Petrus sequutus fuit Christum, ut patet Ioannis 1.<sup>o</sup> 289 Intelligitur ergo de primitate praelationis ac dignitatis inter Apostolos, qua caeteris est praelatus tamquam caput Ecclesiae et Vicarius Christi. Atque haec est sententia Ambrosii, 2 Cor 12<sup>290</sup> prope finem ubi ait; prius sequutus est Andreas salvatorem quam Petrus, et tamen primatum non accepit Andreas sed Petrus. Et advertite quod non argumentamur ex eo quod Petrus a Matthaeo primo loco est numeratus, sed ex eo quod primus inter Apostolos est appellatus.

2.<sup>o</sup> et praecipue probatur ex illo Matthaei 16<sup>291</sup> ubi Christus hoc ipsum Petro promisit, quod (cum mentiri et fallere non possit) procul dubio implevit atque implevisse ex Scripturis ipsis in probatione sequente ostendemus. Cum interrogasset Christus discipulos, *quem dicunt homines esse filium hominis*, et rursus, *vos quem me esse dicitis*, respondit Pe[f. 276v]trus fidei fervore succensus atque a Deo illuminatus, ut Christus ipse testatus est;

p. Lleva por título en el MS: «Additiones ad art. 10, q. 1<sup>o</sup>».

+ 288. Mt 10, 2.

+ 289. Jn 1, 40s.

c. 290. AMBROSIASTER, *Commentaria in XII epistolas beati Pauli*, in 2 Cor 12, 11: PL 17, 351 A.

+ 291. Mt 16, 15-19.



*Tu es Christus filius Dei vivi; ubi etiam Messiam in lege promissum eum fassus est dicens eum esse Christum et praeterea verum filium Dei, cui Christus: Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in coelis est, et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.* Quae verba diligentius expendenda sunt, quoniam hic est locus praecipuus in Scriptura ad probandum institutum. Quem propterea locum haeretici et schismatici totis viribus sinistris interpretationibus conantur infirmare. In primis Petrum appellavit Christus Simonem quod erat proprium nomen ipsius et ad differentiam aliorum maxime Simonis Cananaei loco cognomine more hebraeorum. Adiecit "Bar Iona" id est filius Iona; bar enim filium significat. Et adverte quod pater Petri Ioanna vocabatur, cuius loco latine nos dicimus Ioannes. Unde Ioannes primo et ultimo<sup>292</sup> in aliquibus codicibus invenies Petrum vocatum interdum filium Ioanna, interdum vero filium Ioannis. Mos tamen hebraeorum est nomina propria per syncopam abbreviare, ut hic fecit Matthaeus. Quare omnia consonant.

Ut vero quae dicenda sunt melius intelligas, adverte quod ut habetur Ioannis 1<sup>293</sup>, quando primo adductus est Petrus ad Iesum per Andream, fratrem eius, intuitus eum Iesus dixit: *Tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Caephas, quod interpretatur Petrus.* Nominem ergo ibi promisso appellat eum hoc [f. 277r] loco Christus subiungens: *Ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Planissimus autem sensus horum verborum qui nullam litterae vim infert et communis sanctorum est hic: *Ego dico tibi quia tu es Petrus*, id est petra stabilis et firma et quasi saxum ac rupes apta magno aliquo sustinendo aedificio; id enim Cephass significat. *Et super hanc petram*, id est. te petram aedificabo Ecclesiam meam, etc. Ita hunc locum exponit Tertullianus, temporibus Apostolorum vicinus. in libro De praescriptionibus haereticorum<sup>293</sup> dicens: latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni coelorum conse-

† 292. Jn 1, 42; 21. 15. 16. 17.

○ 293. TERTULLIANUS, De praescriptione haereticorum, 22, 4; SC 46, 116.

quutum? quasi dicat minime. Ita Origines homilia 1.<sup>a</sup> in Matthaëum<sup>294</sup> ubi de canone novi testamenti loquens ait: Petrus, super quem Christus fundavit Ecclesiam duas tantummodo epistolas scripsit; et homilia 5 in Exodum<sup>295</sup>: Magno illi Ecclesiae fundamento petraeque solidissimae super quam Christus fundavit Ecclesiam suam, vide quid dicatur, modice fidei, quare dubitasti? Cyprianus in epistola ad Iovinianum<sup>296</sup>: Dominus primum Petro super quem fundavit Ecclesiam suam et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit remittendi scilicet peccata. Et infra: Christus Ecclesiam suam quae una est fundavit super unum. Idem affirmat in epistola ad Cornelium<sup>297</sup>; et in epistola ad Quintum<sup>298</sup>. Basilius 2 ad Eunomium<sup>299</sup> de Petro inquit: quoniam fide praestabat Ecclesiae in se aedificationem suscepit. Eodem modo exponunt eundem locum Hilarius, super Matthaëum<sup>300</sup>, Ambrosius, sermone 47<sup>301</sup> atque in hymno illo Ecclesiae: Hoc gallo, scilicet gallinaceo, ipse Ecclesiae petra canente culpam diluit<sup>302</sup>; et Augustinus, 1.<sup>o</sup> Retractationum, cap. 21<sup>303</sup>; Hieronymus, primo libro contra Iovinianum<sup>304</sup> et super Matthaëum<sup>305</sup> et in epistola ad Marcellam<sup>306</sup> atque Isaiae 2<sup>307</sup>; et ibidem Chrysostomus, homilia 55 in Matthaëum<sup>308</sup>; Cyrillus, 2 in Ioannem, cap. 12<sup>309</sup>; Theophylactus, Lucae 22<sup>310</sup>; Gregorius, in

○ 294. ORIGENES (Homilia 1.<sup>a</sup> in Matthaëum) apud EUSEBIUM, *Historia Ecclesiastica*, 6, 25, 8: GCS 9/2, 578, 1.

○ 295. ID., *Homilia quinta in Exodum*, 4: PG 12, 329 C-D.

○ 296. CYPRIANUS, *Epistola 73, 7 ad Iovinianum*: CSEL 3/2, 783, 14-18; *Epistola 73, 11*: ib., 786, 6.

○ 297. ID., *Epistola 59, 7 ad Cornelium*: CSEL 3/2, 674, 16-17.

○ 298. ID., *Epistola 71, 3 ad Quintum*: CSEL 3/2, 773, 11-12.

○ 299. BASILIUS, *Adversus Eunomium libri V*, l. 2, 4: PG 29, 579 A.

○ 300. HILARIUS PICTAVIENSIS, *Commentarius in Evangelium Matthaëi*, c. 16, 7: PL 9, 1010 A.

○ 301. PSEUDOAMBROSIUS, *Sermo 47*. Véase la nota 430.

○ 302. AMBROSIUS, Hymno «Aeterne rerum conditor»: DREVES, *Ein Jahrtausend Lateinischer Hymnendichtung*, Leipzig 1909, p. 8.

○ 303. AUGUSTINUS, *Retractationum l. 1*, c. 20 (21): CSEL 36, 98 [PL 32, 618].

○ 304. HIERONYMUS, *Adversus Iovinianum*, l. 1, 26: PL 23, 258 C.

○ 305. HIERONYMUS, *Commentarii in Evangelium Matthaëi*, l. 3 [c. 16, v. 18]: PL 26, 121s.

○ 306. HIERONYMUS, *Epistola 41, 2 ad Marcellam*: CSEL 54, 312, 18-21.

○ 307. ID., *Commentarii in Isaiam*, l. 1 [c. 2, v. 2]: PL 24, 44 C.

○ 308. CHRYSOSTOMUS, *In Matthaëum Homilia 55, 2*: PG 58, 531.

○ 309. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Commentarius in S. Ioannis Evangelium*, l. 2, c. 12: ed. Paris 1605, 1, 443 [PG 43, 220].

○ 310. THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evangelium Lucae*, 22, 28-34: PG 123, 1073 C-D.

epistola ad Mauritium<sup>311</sup>; Augustinus<sup>312</sup>, [f. 277v] Leo, contione secunda de apostolis Petro et Paulo<sup>313</sup> et d. 19, cap. Ita Dominus<sup>314</sup>; atque innumeri alii. Dionysius praeterea Aeropagita in epistola ad Timotheum<sup>315</sup> dicit: Petrum a Paulo vocatum esse fundamentum ecclesiarum. Sensus ergo illorum verborum est: Sicut ego, quasi diceret Christus, sum petra, caput et fundamentum Ecclesiae meae, ita te relinquam petram, caput et fundamentum illius, qui loco mei et tamquam vicarius meus potestate plena a me accepta eam regas et gubernes. Aliter ergo Christus est petra, caput et fundamentum Ecclesiae, et aliter Petrus. Christus enim tamquam is cuius meritis tota Ecclesia et omnis potestas in illa innititur et tamquam is qui in eam potestatem habet excellentiae; Petrus vero tamquam Vicarius Christi qui ex institutione Christi loco ipsius eam regit per plenam potestatem in eam a se acceptam, sicut prorex in absentia regis loco regis regnum gubernat per potestatem plenam in omnes, a rege tamen acceptam.

Haeretici quidam nostri temporis affirmant non hunc esse sensum verborum Christi, sed hunc alium: Tu es Petrus a me vera petra ita dictus et super hanc petram quam modo confessus est, hoc est super me ipsum, aedificabo Ecclesiam meam. Unde, inquit, Ecclesia Christi non super petram, sed super Christum fundata est, iuxta illud 1 Cor 10<sup>316</sup>: *petra autem erat Christus*; et illud 1 Cor 3<sup>317</sup>: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus*. Citant praeterea in confirmationem huius rei Augustinum, tractatu ultimo super Ioannem<sup>318</sup> ac alibi, ut ipse refert 1 Retractationum, cap. 21<sup>319</sup>. Quibus in locis voluit hoc loco nomine petrae super quam Christus dixit se aedificaturum Ecclesiam suam non Petrum, sed Christum intelligendum esse. [f. 278r] Nam, inquit, non a Petro petra vocatur, sed petrus a petra, sicut non Christus a

○ 311. GREGORIUS I, *Registrum epistolarum* (l. 5, ep. 20): PL 77, 745 D-746 A.

○ 312. AUGUSTINUS, *Sermo* 295, 2: PL 38, 1349.

○ 313. LEO I, *Sermo* 83 (al. 80) in natali S. Petri apostoli. 1s: PL 54, 430 A-B.

○ 314. C. I. C., c. 7, D. XIX: Ed. Friedberg 1, 62.

○ 315. PSEUDODIONYSIUS AEROPAGITA, *Epistola ad sanctum Timotheum de coronatione Petri et Pauli* (Cfr. PITRA, J. B., *Analecta sacra Spicilegio Solesmensi parata*, Paris, 1883, t. 4, p. 264).

+ 316. 1 Cor 10, 4.

+ 317. 1 Cor 3, 11.

○ 318. AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium Tractatus* 124, 5: CChr 36, 684s.

○ 319. ID., *Retractationum* l. 1, c. 20 (21): CSEL 36, 97, 15-98, 16.

christiano, sed christianus a Christo. Unde, inquit Augustinus, quia Petrus dixerit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, adiecit Christus: *super hanc petram* quam confessus est, id est, super me, *aedificabo Ecclesiam meam*. Expositio haec, praeterquam quod communi expositioni patrum non consonat, ut citatum est, dubia est, violentiamque infert contextui. Quod clarius patebit si advertamus in primis vocabula graeca *o petrós* et *ē petra* idem significare, videlicet petram et saxum latine, licet ad significandam petram familiarius et frequentius graeci utantur vocabulo, id est, *petra* quam *o petros*. Deinde illud advertendum est, Christum cum Petro non graece, sed hebraea lingua tunc consueta fuisse loquutum, appellasse autem illum *cepha*, ut patet ex illo Ioannis 1.<sup>o</sup> <sup>320</sup>: *tu vocaberis Cephas quod interpretatum* (ait Ioannes Evangelista) dicitur *petros* graece, cuius loco interpret latinus dixit *petrus*. *Cephas* autem est vocabulum potius syriacum eo tempore consuetum quam hebraeum, quod *petram* et *saxum* significat; hebraice enim *petra* et *saxum* dicuntur, syriace vero *cepha*; graeci autem addiderunt illi litteram *s* et dixerunt *cephas*, accommodantes vocabulum graecae declinationi, sicut nos accommodamus vocabula hebraea et graeca declinationibus latinis.

His praehabitis patet in primis Christum hoc loco hebraea lingua non appellasse *petrum* nomine a *petra* derivato, sed nomine *petram* significante; quod si Augustinus advertisset, numquam talem sensum excogitasset aut acceptasset. Christus ergo dixit Simoni: *Tu es cepha*, id est *petra*, et *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* <sup>321</sup>. Atque ita habet evan[f. 278v]gelium syriacum in bibliis plurium linguarum nuper excussis. Interpret autem qui Matthaenum de hebraeo in graecum transtulit, quem interpret latinus est sequutus, merito, primo loco transtulit: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus*, propterea quod vocabulum masculinum *o petros*, accommodatius est ad significandum virum quam vocabulum femeninum, id est, *petra*. Merito etiam secundo loco transtulit: *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* quoniam vocabulum, id est, *petra* familiarius et frequentius est graecis ad significandum *saxum* et *petram* quam vocabulum *o petros*. Deinde patet contortam esse violentiamque inferre litterae hanc expositionem: *ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc*

† 320. Jn 1, 42.

‡ 321. Mt 16, 18.

petram non te, sed me, aedificabo Ecclesiam meam. Si enim evangelista concepisset id Christum voluisse significare, certe longe diversis verbis et non tam ambiguis quae oppositum aperte sonant id expresisset. Praeterea, quorsum Christum nomen Cephas (quod interpretatur Petrus et petra ac saxum significat) promississet Simoni, Ioanne primo<sup>322</sup>, et aliud postea ei imposuisset et eo et hoc loco eum compellasset, nisi ob id quod ei hoc loco manifestissime promisit et postea opere complevit, ipsum scilicet futurum esse lapidem firmissimum loco sui super quem aedificanda erat Ecclesia, quique tamquam vicarius ipsius assistentia infallibili Spiritus Sancti eam per se et successores suos erat moderaturus potestate plenissima ad id accepta atque hoc loco promissa? Deus enim his quibus nomina aliquando commutavit vel tribuit, quae id significarent quod circa ipsos facere disponebat. Quare procul dubio praemittens: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus*, et addens: *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam* [f. 279r] *meam*<sup>323</sup>, illi id promisit, ad quod nomen petri ei et promiserat et imposuerat, supra ipsum scilicet tamquam petram et firmissimam, aedificandam fore Ecclesiam suam ipsumque et successores suos futuros vicarios Christi cum plena potestate et assistentia infallibili Spiritus Sancti ad Ecclesiam gubernandam. Firmitatem vero huius petrae in eo inter alia positam esse existimo quod ei assistentiam infallibilem ad non errandum in rebus fidei quatenus Vicarius Christi est et caput Ecclesiae promisit sibi et successoribus suis, et subinde integritatem fidei in Ecclesia cum ipsa perseverantem, quod et indicant verba subiuncta: *et portae inferi non praevalent adversus eam*. Et opere completum est videmus cum Ecclesias ab aliis apostolis fundatas et episcopos successores eorum a fide aliquando defecisse videamus: Ecclesiam vero Romanam tot procellis et persecutionibus imperatorum, principum et haereticorum obortis videamus veram fidem conservasse, quam per successiones temporum et episcoporum ex historiis, conciliis atque scriptis sanctorum licet apertissime ostenderet semper usque ad tempora Christi et apostolorum fuisse eandem, numquamque Ecclesiam Romanam ad inventionem et novitatem aliqua discessisse ab aliis, sed alias variis haeresiarchis insurgentibus a romana et catholica Ecclesia discessisse, quod (quando alia non essent) aper-

† 322. Jn 1, 42.

† 323. Mt 16, 18.

tissimum argumentum est veritatem fidei in Ecclesia Romana permanere.

De hac fide Petri et successorum ipsius, quatenus Vicarii Christi sunt, intelligitur optime illud Christi ad Petrum, Lucae 22<sup>321</sup>: *Ego, rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quasi diceret: quando id tibi a Patre obtinui (exauditus enim fuit Christus pro sua reverentia<sup>325</sup>), tu conversus a peccato, quo me es negaturus, tamquam Vicarius et Pastor universalis Ecclesiae futurus, confirma fratres tuos. Illud hic etiam adverte: merito promissionem Summi Pontificatus, firmitatis et [f. 279v] infallibilitatis in vera fide conservanda factam fuisse Petro a Christo post tam magnificam Petri confessionem fidei. Decebat enim et talem promissionem tali confessioni respondere et Deum ita Petrum illustrare quem ad tantum munus et in fidei protectorem et Ecclesiae moderatorem ac Christi Vicarium eligebat.

Ex his patet responsio ad fundamenta expositionis impugnatae. Illud enim quod citatur ex Paulo<sup>326</sup> patet nullius esse momenti. Aliter enim Christus dicitur petra, fundamentum et caput Ecclesiae, et aliter Petrus ut dictum est. Christus enim propria virtute et propriis meritis ac potestate Ecclesiam continet, sustentat, gubernat atque in eam influit charismatum dona, et hoc modo esse caput, petram et fundamentum Ecclesiae, est proprium Christi, verumque est neminem posse ponere aliud fundamentum praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Petrus vero dicitur petra, fundamentum et caput Ecclesiae participatione ab ipso Christo, per potestatem a Christo acceptam, quatenus in sui discessu ex hoc mundo, quando se invisibilem Ecclesiae militanti tunc nascenti erat exhibiturus, ut schismatis tolleretur occasio (ut Hieronymus<sup>327</sup> et Cyprianus<sup>328</sup> aiunt) ei loco sui et tamquam suum Vicarium praefecit Petrum qui eam moderaretur, contineret et cuius ministerio derivarentur et dispensarentur varia gratiarum munera in caeteros Ecclesiae pastores et in caetera membra Ecclesiae. Quo fit ut diversimode Ecclesia in Christo et in Petro

+ 324. Lc 22, 32.

+ 325. Heb 5, 7.

+ 326. 1 Cor 10, 4.

o 327. HIERONYMUS, *Adversus Iovinianum*, l. 1, 26: PL 23, 258 C.

o 328. CYPRIANUS, *De catholicae Ecclesiae unitate*, c. 4: CSEL 3/1, 212s.

fundata sit. Et adverte quod Apoc 21<sup>329</sup> duodecim apostoli dicuntur duodecim fundamenta civitatis sanctae Ierusalem, hoc est Ecclesiae; sunt tamen fundamenta quae Christo priori et primo fundamento innituntur, iuxta illud Eph. 2<sup>330</sup>: fundati supra *fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. Quare non sunt [f. 280r] fundamentum praeter Christum, sed in ipsomet Christo et per Christum. Atque eodem modo Petrus est fundamentum. Ad Augustinum<sup>331</sup> dicendum est quod licet illam expositionem sequutus fuerit illis in locis, attamen aliis quae ibidem 1.º Retractationum refert<sup>332</sup> communem expositionem sequutus est. Neque eam retractat 1.º Retractationum, sed utramque refert et lectori relinquit ut eligat quae magis placuerit. Praeterea sufficienter credo evertimus fundamenta propter quae Augustinus in eam expositionem aliquando inclinavit. Neque Augustinus umquam negavit Petri primatum et successorum eius in Ecclesia Dei; quin potius apertissime, ut videbimus, illud confessus est.

Alii ex haereticis nostri temporis desumunt ex Augustino in expositione recitata<sup>333</sup> nomine petrae non esse intelligendum Petrum propter motiva quae Augustinum ad id induxerunt; negant tamen intelligendum esse Christum quem Petrus confessus est, ut Augustinus dicebat, eo, quod dura et violenta eis videatur interpretatio, sed dicunt intelligendam esse fidem in Christum, quam Petrus confessus est, super quam fundata est Ecclesia et firma persistit contra omnes adversarias potestates, atque haec est communior inter eos expositio. Confirmant vero suam expositionem ex Hilario, 6 De Trinitate<sup>334</sup> ubi inquit, super hanc igitur confessionis petram Ecclesiae aedificatione. Et infra<sup>335</sup>, haec fides Ecclesiae fundamentum est, per hanc fidem infirmae adversus eam sunt portae inferorum, haec fides regni coelestis habet claves, haec fides quae in terris solverit aut ligaverit, et ligata sunt in coelis et soluta. Et simile quid dicit Cyrillus, 4 De Trinitate<sup>336</sup>.

† 329. Ap 21, 14.

+ 330. Ef 2, 20.

○ 331. Véanse las notas 318 y 319.

○ 332. Véase la nota 319.

○ 333. AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium Tractatus* 124, 5: CChr 36, 684s.

○ 334. HILARIUS, *De Trinitate*, l. 6, 36: PL 10, 186 C-187 A.

○ 335. *Id.*, *ib.*, l. 6, 37: PL 10, 187 A.

○ 336. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *De sanctissima Trinitate Dialogus IV*: PG 75, 866 B-C; ed. Paris 1604, 2, 278 a A-B.

Confirmant praeterea eam ex Chrysostomo<sup>337</sup> qui illa verba: *tu es Petrus et super hanc petram, etc.*, exponit, id est, fidem et confessionem. Idem et Theophilactus<sup>338</sup> ibidem ita inquit: quia confessus erat eum Dei filium Petrus, dixit quod haec [confessio quam] confessus est, fundamentum erit futurum credentium ita ut omnis homo exstructurus [f. 280v] fidei domum, hoc iacturus sit fundamentum.

Haec etiam expositio non solum deviat a plano sensu verborum et communi expositione sanctorum, ut visum est, sed violentiam litterae infert, et contra eam militant argumenta facta adversus praecedentem; atque in primis fundamenta illa quibus innituntur ut dicant per petram non esse intelligendum Petrum, sufficienter in superioribus sunt eversa. Deinde sensus iuxta hos hic erit: Ego dico tibi quia tu es Cephas, id est petra, et super hanc petram, id est confessionem fidei quam protulisti, aedificabo Ecclesiam meam. Quis autem non videat violentam duramque esse hanc expositionem? De petra enim quam nominaverat, addidit: et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, ipsamque ostendit pronomen demonstrativum hanc. Adde quod Ecclesia Christi in Beata Virgine et in Petro et forte in pluribus aliis, ut in caeteris apostolis, in Ioseph, Symeone, Ana prophetisa, Magis, pastoribus et aliis iam erat aedificata in fide divinitatis Christi; nondum tamen in Petro erat aedificata tamquam in Vicario Christi. Petra ergo in qua promittitur aedificanda in futurum non fides, sed Petrus est. Facit etiam adversus hanc expositionem ratio illa de nomine Petrus promisso et imposito de novo a Christo, quam supra fecimus neque opus est repetere. Praeterea, fides Christi est quae constituit fideles in esse Ecclesiae, ut in superioribus est habitum; quare licet ipsa sit fundamentum virtutum supernaturalium atque aedificii spiritualis in unoquoque nostrum, non tamen tam apte dicitur fundamentum super quod fundata et aedificata est Ecclesia quam Christus cui innititur et a quo Ecclesia continetur et Vicarius ipsius a quo etiam continetur et cuius infallibilitati ex assistentia Spiritus Sancti in amplectendis rebus fidei innititur conservatio verae fidei in Ecclesia et subinde Ecclesia ipsa. Aptius ergo super Petrum quam [f. 281r] super fidem

○ 337. CHRYSOSTOMUS, *Homilia 55 in caput Matthaei 16*: ed. Paris 1570, t. 2, col. 403 C.

○ 338. THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evangelium Matthaei 16, 18*: PG 123, 320 A-B.



dicitur Ecclesia aedificanda. Adde quod esto haec et praecedens expositio verae et germanae essent atque intentae a Christo (cuius tamen oppositum ostensum est) negari non potest Christum hoc in loco aliquid peculiare promisisse Petro prae caeteris apostolis, cum non solum dixerit: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus*, etc., sed addiderit: *et tibi dabo claves regni coelorum et quodcumque ligaveris etc.* Neque aliud fingi potest quam Summum Pontificem et esse pastorem universalem Ecclesiae, tum quia id sonant verba hoc loco, et id sonat quod subiungemus in ratione sequenti, tum etiam quia cum praevideret id quod promissurus et daturus esset caeteris apostolis et cap. 18<sup>339</sup> sequenti apud Matthaeum caeteris tamquam praelatis futuris in Ecclesia promittat facultatem ligandi atque solvendi super terram, certe non videtur quid aliud singulare Petro prae caeteris apostolis hic fuerit pollicitus quam Summum Pontificatum futurum, videlicet vicarium suum et pastorem universalem, cuius caeteri apostoli et reliqua Ecclesia essent oves; neque id negaverunt, quin potius affirmaverunt et professi sunt patres quos haeretici citant pro suis expositionibus, ut statim ostendam.

Pro solutione autoritatum quas citant, adverte patres illos adversus arrianos aliosque haeticos illius temporis illa dicere qui negabant Christum esse verum Filium Dei, neque negare Christum Ecclesiam fundasse et aedificasse supra Petrum, quin potius id apertissime affirmare. Quod autem intendunt et dicunt est quod cum fides quam Petrus hoc loco confessus est Christum esse verum Filium Dei fuerit ratio ex parte Petri quod Christus ei promiserit supra ipsum aedificaturum fore Ecclesiam suam fit quod fides quod Christus sit verus Filius Dei, et non quod sit filius Dei per adoptionem, ut haeretici dicebant, seu quae est fundamentum [f. 281v] Ecclesiae tamquam ratio quod fundetur et aedificetur supra Petrum et tamquam ratio quod Petrus accipiat claves Ecclesiae et potestatem ligandi atque solvendi et quod ei concedatur quod Ecclesia in ipso fundata sit tam firma quod portae inferi non praevaleant adversus eam; atque id est quod voluit Hilarius<sup>340</sup>. Ob id etiam dicunt eandem fidem in unoquoque nostrum debere esse fundamentum structu-

+ 339. Mt 18, 18.

o 340. Véase la nota 334.

rae fidei si fidem comparare volumus quae placeat Deo et nos fideles efficiat, et quae conducat in vitam aeternam, et hoc est quod voluit Theophilactus<sup>341</sup>. Patres ergo illi non dicunt Ecclesiam fundatam esse in fide in genere quod Christus sit verus Filius Dei prout ea fides est in unoquoque nostrum, ut Lutherani affirmant, sed in fide illa ut erat in Petro; ei vero tribuunt esse fundamentum tamquam rationem ex parte Petri quod Christus fuit cum aedificavit Ecclesiam suam. Qua ratione etiam confessione Petri Petrum aliquando appellant, quod fuerit ratio quod Petrus constitutus sit petra Ecclesiae. Quare sicut Abram<sup>3</sup> per suam fidem in Deum factus est Abraham, id est, pater multarum gentium<sup>342</sup>, ita Simon, per suam fidem, factus est Petrus, id est, petra firmissima super quam aedificaret Ecclesiam<sup>343</sup>.

Quod autem hoc tantum voluerit Hilarius loco citato<sup>344</sup>, patet tum ex eo quod ibi intendit probare, tum etiam quia in eodem libro quinque foliis ante illud dictum, ita inquit: post confessionem Dominus, Simon aedificationi Ecclesiae subiaccens, et claves regni coelorum accipiens, ubi manifeste affirmat Ecclesiam supra ipsum Petrum fundatam fuisse; inferius quatuor foliis affirmat Apostolos ob fidei meritum accepisse claves regni coelorum et potestatem ligandi atque solvendi, quae sunt propria Dei, ubi fidei tribuit fuisse rationem ex parte Petri quod super ipsum aedificata fuerit Ecclesia et potestatem illam acceperit; et super cap. 16 [f. 282r] Matthaei<sup>345</sup> de Petro ita inquit: "O<sup>q</sup> in nuncupatione novi nominis, Petri scilicet, felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret, coeli ianitor beatus". Ubi patet Hilarium appellasse Petrum fundamentum Ecclesiae et petram, eumque cum reliquis patribus hac in parte consentire. Cyrillus etiam, 2.<sup>o</sup> in Ioannem, capite 12<sup>346</sup> super

q. MS: Abraham.

q' MS: Hoc.

○ 341. Véase la nota 338.

● 342. Gn 17, 5.

+ 343. Mt 16, 18.

○ 344. Véase la nota 334.

+ 345. Mt 16, 18. Cfr. HILARIUS, *Commentarius in Matthaeum*: PL 9, 1010 A.

○ 346. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Commentarius in Ioannis Evangelium*, l. 2, c. 12: véanse las notas 302 y 337. Las palabras citadas por Molina están a la letra en la traducción de Gentianus Hervetus: ed. Paris 1605, l. 443: PG 43, 220.

illud: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, inquit: vocabulo ipso commode significans quod in eo tamquam in petra lapideque firmissimo suam esset aedificaturus Ecclesiam. Unde, 4 De Trinitate<sup>347</sup> non aliud voluit quam Hilarius, maxime cum eodem nitatur testimonio quo Hilarius atque ad idem probandum. Non ergo dissentit a caeteris patribus. Quod attinet ad Chrysostomum<sup>348</sup> dubium est an verba illa, id est, fidem et confessionem expositio sint illius et super hanc petram, an vero illorum verborum "Ecclesiam meam", ita enim et verba Matthaei et expositio illorum habent apud Chrysostomum: Ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, id est, fidem et confessionem. Hic aperte praedixit magnam eorum qui credituri et erant et sunt, multitudinem fore, et sublimiora sapere ipsum fecit, et Ecclesiae futurae pastorem constituit. Hactenus Chrysostomus<sup>348</sup>. Ubi in primis cum expositionem illam, id est, fidem et confessionem posuerit post verba illa: Ecclesiam meam, signum est eorum esse expositionem, quasi sensus sit: aedificabo Ecclesiam meam, quae in fide et vera confessione fidelium consistit, et ad quam fidem diiudicandam et discernendam ab erroribus ac conservandam infallibilem tibi tradam ego potestatem per peculiarem assistentiam Spiritus Sancti. Et certe huic expositioni consonat commentum Chrysostomi quod subiungitur. Praeterea si expositio illa esset illorum ver[*f.* 282v]-borum "et super hanc petram" inepte et valde obscure tam praepostere esset apposita, ut patet intuenti. Deinde alia est etiam vehemens coniectura quod dicimus fuisse mentem Chrysostomi, quia in commento verbis illis Matthaei citatis, dicit Petrum constitutum fuisse a Christo pastorem Ecclesiae futurae. Si autem nomine petrae super quam Christus dicit aedificaturum Ecclesiam suam non intelligat Chrysostomus Petrum, sed fidem et confessionem, non videtur unde ex illis verbis id habeatur. Nisi dicant adversarii nomine fidei et confessionis Petri intellexisse Ecclesiam aedificatam esse super Petrum, Petrumque constitutum esse pastorem Ecclesiae ad sensum quo loquutus est Hilarius 6 De Trinitate. Quo pacto et concedunt quod intendimus: Chrysostomum sensisse cum caeteris patribus Ecclesiam supra Petrum esse aedificatam et eo ipso Petrum constitutum esse

○ 347. Véase la nota 336.

○ 348. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homilia 55 in caput Matthaei 16*: ed. c. (nota 337), 403 C.

pastorem Ecclesiae. Neque id negari potest cum in commento dicat illis verbis Christum constituisse Petrum pastorem Ecclesiae futurae. Et inferius, in alio commento, super illa verba "quaecumque ligaveris", ita dicat: quae Deus concederet solus potest peccatorum scilicet remissionem, et ut futura Ecclesia tot tantisque fluctibus irrupentibus immovilis maneat, cuius pastor et caput piscator homo atque ignobilis terrarum orbe reluctantante adamantis naturam firmitate superaret; haec inquam quae solius Dei sunt, se pollicetur daturum<sup>349</sup>. Et infra<sup>350</sup>, in eodem commento, dicat: ego tibi dabo (inquit Christus) tu es Petrus et ego super te aedificabo Ecclesiam meam, ego tibi dabo claves regni coelorum. Ubi clarissime Chrysostomus affirmat Christum dixisse super Petrum se aedificaturum Ecclesiam suam, illumque intellexisse per petram super quam dixit fundaturum Ecclesiam. Quod denique attinet ad Theophilactum neque a caeteris patribus discordare [f. 283r] neque aliud voluisse quam id quod supra diximus. Proxime enim ante illa verba praemiserat<sup>351</sup>: remunerat Petrum Dominus mercedem illi dans magnam quod supra eum aedificabit Ecclesiam. Et tunc sequuntur verba quae recitant adversarii; quare sensit supra ipsum Petrum fundatam esse Ecclesiam eumque per Petrum Christum intellexisse.

Circa verba illa: *Et portae inferi non praevalent adversus eam*, adverte quod per portas intelligunt communiter doctores persecutiones, haereses, vitia, blandimenta, daemoniorum astutias et tentationes et si quae sunt huiusmodi quibus homines ingrediuntur et tendunt in infernum. Cornelius vero Iansenius super hunc locum<sup>352</sup>, non dissentiens in re a caeteris, vult per portas inferi intelligi regnum diaboli quod contrariatur Ecclesiae et regno Christi, quod complectitur illa omnia, dicitque phrasi hebraea significari per portas inferni; nam mos hebraeorum est per portas civitatis et regna significare iuxta illud Genesis 22<sup>353</sup>: *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, id est, regna et civitates. Unde sensus est: regnum diaboli non praevalebit adversus Eccle-

349. Id., *ib.*: *ib.*, 403 D.

350. Id., *ib.*: *ib.*, 404 A.

351. THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evangelium Matthaei* 16, 18: PG 123, 320 A.

352. IANSENIUS, CORNELIUS, *Commentariorum in suam Concordiam ac totam Historiam Evangelicam Partes IIII*, p. 3, c. 66: Lyon 1580, 493 a, A.C.

353. Gn 22, 17.

siam in te fundatam, sed usque ad consummationem saeculi perdurabit cum iustis atque integra fide. Haec expositio placet. Sed accommodatius forte dicitur per portas inferi intelligi regnum et civitatem Diaboli in hoc mundo, quae illa omnia complectitur et adversatur Ecclesiae militanti in Petro a Christo fundatae, quae regnum Christi ac civitas Dei dicitur. Sicut autem Ecclesia militans eo quod aditus et ingressus sit ad triumphantem, dicitur domus Dei et porta coeli, iuxta illud Genesis 28<sup>354</sup>: *non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli* (de loco enim in quo plantanda erit synagoga et Ecclesia legis scriptae id dicitur) ita regnum [f. 283v] et civitas Diaboli in hoc mundo portae inferi dicitur, eo quod aditus et ingressus sit quo in infernum itur

Quod attinet ad illa verba: *et tibi dabo claves regni coelorum*, Cornelius Iansenius in eadem verba<sup>355</sup> docte advertit per claves regni coelorum promissas hoc loco Petro metaphorica locutione intelligit plenariam ac supremam potestatem gubernandi Ecclesiam Christi, atque exequendi quidquid ad officium pastoris universalis Ecclesiae et Vicarii Christi pertinet. Sicut enim Apocalypsis 3<sup>356</sup> de Christo per metaphoram dicitur: *qui habet clavem David*, id est, plenam et supremam potestatem in regno Patris sui et Ecclesiae, iuxta illud Lucae 1<sup>357</sup>: *dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum*, et ob id de eo subiungitur: *qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*<sup>358</sup>, id est, facit quod vult; ita Christus hoc loco eadem metaphora usus dixit Petro: *tibi dabo claves regni coelorum*, id est supremam et plenam potestatem loco mei super Ecclesiam quam in te fundabo et cui te praeficiam et quidquid ligaveris super terram in Ecclesia militanti cui te praeficiam, erit ligatum et in coelis; et quidquid solveris erit solutum. Inde autem ortum habuisse videtur et metaphora quod cui gubernatio domus aut civitatis traditur claves illius tradi solent. Unde regibus et principibus cum in suas civitates recipiuntur, claves civitatis offerri solent in signum quod penes eos potestas et dominium sit civitatis. Eadem metaphora usus est Dominus per Esaiam 22 ca-

354. Gn 28, 17.

355. IANSENIUS, *Commentaria...in Historiam Evangelicam*, p. 3, c. 66: ed. c., p. 494 a A.

+ 356. Ap 3, 7.

+ 357. Lc 1, 32.

+ 358. Ap 3, 7.

pite<sup>389</sup>, quando Eleacim pollicitus est summam potestatem in aula regis Ezechiae et civitate Ierusalem dicens: *et dabo clavem domus David super humerum eius, et aperiet et non erit [qui] claudat, et claudet et non erit qui aperiat*. Non est tamen negandum ob id potestatem hanc Petri claves regni coelorum metaphorice commode etiam [f. 284r] posse dici quod sit potestas ad tollendum impedimenta ingressus in Regnum coelorum, tum etiam impedimenta contumacibus apponendum aut relinquendum, et forte utraque de causa potestatem quam Petro promisit appellavit Christus claves regni coelorum.

Ad claves ergo atque ad potestatem hic Petro promissam pertinet quidquid ad Ecclesiam rite in ordine ad finem supernaturalem ad quem fuit instituta gubernandam fuerit expediens expectatis legibus divinis, atque ordine in Ecclesia a Christo relicto. Unde ad ipsum pertinet curare dilatationem et conservationem Ecclesiae universalis, et per se ac suos ministros proponere verbum Dei et legem divinam, statuere leges pro tempore et circumstantiis opportunas ad bonum et ad finem Ecclesiae, punire excessus etiam excommunicando iuxta potestatem Ecclesiae a Christo relictam, instituere inferiores ministros Ecclesiae qui ipsum adiuvent ad regimen Ecclesiae, et plus ac minus iurisdictionis ac potestatis illis concedere, ut viderit expedire, ut instituere episcopos, parochos, et caeteros, dispensare in votis et legibus humanis, relaxare iuramenta, dispensare thesaurum Ecclesiae per indulgentias, et plura alia.

Circa verba autem illa: *quodcumque ligaveris super terram*, etc. adverte quod per praecepta quae imponit, ligat ad aliquid faciendum aut omittendum, illisque coram Deo habentur homines ligati; item ligat iniungendo pro peccatis aliquam poenitentiam. Item excommunicando ligat privando participatione sacramentorum, administratione eorum et communione fidelium; ligat etiam suspensione et irregularitate impediendo ad aliquid exequendum aut subeundum. Item ligat nolendo absolvere et relinquendo aliquem ligatum suis peccatis et excommunicatione iudicando eum indignum cui beneficium absolutionis impendatur; solvit vero abrogando et tollendo praecepta aut dispensando in illis, absolvendo a peccatis, ab excommunicatione, tollendo sus-

pensionem aut irregularitatem, dispensando in votis et iuramentis, concedendo indulgentias, quibus [f. 284v] homines absolvuntur a debito poenae et satisfactionis quae illis restabat solvenda pro culpis, atque aliis similibus modis. Adverte tamen quod sicut si Rex in regno suo substitueret sibi aliquem loco sui ut regnum administraret in absentia ipsius, illique diceret: quidquid statueris in regno meo statutum habeo, non censeretur concedere illi potestatem statuendi pro sua voluntate iuste et iniuste, sed solum rite et prout decet administraret regnum, ita Petro et successoribus eius non censetur Christus concessisse ut quidquid iuste vel, iniuste statuerint etiam contra leges divinas et ius naturale ratum et firmum sit, sed solum quod iustum fuerit secundum leges divinas et quod ad ipsos pertineat in ordine ad finem supernaturalem, ad quem Ecclesia ipsa et regimen illius ipsis commissum ordinatur. Haec de 2.<sup>o</sup> loco, unde probatur proposita conclusio.

3.<sup>o</sup> probatur, ex eo quod habetur Ioannis 21<sup>360</sup> ubi post resurrectionem praesentibus Nathanaele, Iacobo et Ioanne et tribus aliis ex discipulis implevit Christus quod Petro promiserat Matthaei 16<sup>361</sup>, constituens eum pastorem universalis Ecclesiae. Conversus enim ad Petrum et interrogans eum ter utrum se diligeret et utrum se plus caeteris apostolis diligeret, dixit ei: *pasce agnos et oves meas*, quasi diceret: amorem quo me diligis transfunde et ostende in cura ovium mearum mihi charissimarum, pro quibus vitam dedi et sanguinem fudi et quas tibi committo. Committens autem Petro in particulari et non Ioanni neque alteri ex discipulis praesentibus curam pascendi oves suas, et nullam excipiens, utique pastorem totius ovilis et universae Ecclesiae illum constituit etiam caeterorum apostolorum. Caeteri namque apostoli oves Christi erant et subinde eas Petro subiecit. Quo fit ut Petrus a quibusdam pastor universi orbis dicatur constitutus eo in loco, ut a Theophilacto<sup>362</sup>, Chrysostomo<sup>363</sup> et aliis, a quibusdam vero dicatur tenere primatum Apostolorum essetque primum inter apostolos. ut ab Augustino eo in loco<sup>364</sup>. [f. 285r] Et nota quod Petro ob singularem fidei confessionem promisit

+ 360. Jn 21, 15ss.

+ 361. Mt 16, 18.

○362. THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evangelium Ioannis* 21, 15-19: PG 124, 309 A.

○ 363. CHRYSOSTOMUS, *Homilia in Ioannem* 88, 1: PG 59, 479.

○364. AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium tractatus* 124, 7: CChr 36, 687.

hanc dignitatem supremam in Ecclesia, et antequam eam illi traderet, ter eum interrogavit de singulari in ipsum amore, utraque namque virtus, fides scilicet et charitas emineat oportet in praelato et pastore animarum, et maxime in supremo Ecclesiae pastore et Christi Vicario.

4.º probatur, ex eo quod Petrus, post ascensionem Christi, ut caput se habuit Apostolorum. Actorum enim 1.º<sup>365</sup> ante adventum Spiritus Sancti exurgens in medio fratrum, ubi aderat Beata Virgo, proposuit et ostendit ex Scripturis debere erigi unum Apostolum loco Iudae, atque electus est Matthias qui simul cum aliis accepit Spiritum Sanctum. Act. 2<sup>366</sup> accepto Spiritu Sancto et prodeuntibus Apostolis in publicum ad divulgandum Evangelium, stans Petrus cum undecim tamquam caput eorum primam contionem habuit ad populum; ubi conversi sunt circiter tria millia, Petro semper ut primo inter Apostolos rationem reddente et respondente tam ibi quam capitibus sequentibus. Primum miraculum post adventum Spiritus Sancti narratur factum Act. 3<sup>367</sup>, quando ascendentibus ipso et Ioanne in templum claudum sanavit. Act. 5<sup>368</sup> tamquam caput et iudex Ecclesiae Ananiam et Saphiram arguit delicti qui in poenam statim ceciderunt ad pedes Petri et mortui sunt. Cessionem legalium Petro tamquam capiti Ecclesiae revelavit primum Deus Act. 10<sup>369</sup>, linteo illo misso de coelo quando ad Cornelium est ingressus et eum baptizavit. In primo item illo concilio, Act. 15<sup>370</sup>, ubi diffinitum est conversos e gentibus neque teneri circumcidi neque servare legalia, Petrus tamquam caput primus loquutus est licet in dioecesi ubi Iacobus constitutus erat Episcopus.

Dices: praemissa sufficienter ostendere Petrum constitutum fuisse a Christo vicarium suum et pastorem universalem Ecclesiae; attamen ex illis non haberi hoc ipsum convenire etiam successoribus ipsius episcopis urbis Romae. Antequam autem subiiciamus traditionem [f. 285v] qua a principio nascentis Ecclesiae usque in hodiernum diem perpetuo patres ex locis citatis et traditione Christi et Apostolorum intellexerunt Petrum et suc-

† 365. Hch 1, 15.

+ 366. Hch 2, 14.

+ 367. Hch 3, 7.

+ 368. Hch 5, 1-11.

+ 369. Hch 10, 9-16.

+ 370. Hch 15, 7.



cessores ipsius a Christo constitutos atque relictos esse vicarios loco sui et pastores universales Ecclesiae, quod tamen esto nulla esset Scriptura, sufficientissimum est ut tamquam certissimum in fide habeatur ut ex dictis patet, art. 4, disp. 12<sup>371</sup>. Adhibeamus nihilominus rationes nonnullas coadiuvantes quae hoc ipsum vincant.

Prima sit. Si potestas pastoralis officii atque vicarii Christi in Petro fuisset, quasi non esset illi tradita sibi et successoribus suis, certe Ecclesia usque ad consummationem saeculi duratura, non diceretur a Christo aedificanda super Petrum ad sensum supra explicatum, cuius vita tam parum erat duratura, et multo minus ratione firmitatis illius petrae ex assistentia Spiritus Sancti in diffiniendis et secernendis rebus fidei, adderetur de Ecclesia super ipsum fundata *et portae inferi non praevalerunt adversus eam*. Firmitas enim pastoris et vicarii ad tam breve tempus parum conducirerit ad soliditatem Ecclesiae procellis et turbinibus expositae usque ad consummationem saeculi. Non ergo officium illud et firmitas Petro soli promissa et concessa est, sed sibi et successoribus suis, ut perpetuo intellexit Ecclesia.

2.<sup>a</sup> est, quia munus pastoris universalis Ecclesiae atque vicarii Christi minus necessarium erat viventibus Apostolis, quam reliquo Ecclesiae tempore ut unitas et pax Ecclesiae conservaretur unita tota Ecclesia in uno capite et supremo pastore ac iudice visibili quem omnes adirent, et cuius iudicio et sententiae starent. Stultum ergo est existimare Christum Dei sapientiam vicarium sui et pastorem universalem Ecclesiae instituisse pro tempore solum Apostolorum; reliquo vero tempore reliquisse illam sine iudice ac supremo capite et pastore visibili cuius iudicio et sententiae [f. 286r] omnes starent, integrumque reliquisse unicuique de fide et moribus sentire ut vellet, sine iudice qui lites componeret et cuius sententiae omnes tenerentur stare, maxime cum sua praesentia praevideret tot haereses et divisiones futuras, variis haereticis insurgentibus et contorquentibus ac trahentibus ad suum sensum Scripturas. Non ergo talem Christus in futurum instituit Ecclesiam, sed qualem hodie et semper habuimus cum uno supremo iudice et pastore visibili vicario sui et successore Petri quem constat non alium esse quam Romanum Pontificem. At

371. MOLINA, LUIS DE, *Annotationes in II.II divi Thomae*, q. 1, a. 1 et 2, disp. 12: ArchTeolGran 40 (1977) 216-230.

probandum restat antecedens 1.<sup>o</sup> loco assumptum, tametsi modica indigeat probatione. Quis enim non videat tempore Apostolorum ad unitatem et pacem Ecclesiae conservandam minus necessarium fuisse munus pastoris universalis atque vicarii Christi, quam reliquo Ecclesiae tempore cum Apostoli omnes confirmati fuerint in gratia, neque in his quae ad fidem et mores pertinent dissentire potuerint ad invicem, singulique in universum orbem acceperint parem potestatem cum Petro a Christo, paresque illi fuerint ex privilegio Christi in munere divulgandi Evangelium et fundandi ecclesias? quae causa fuit ut inter Apostolos non adeo appareret Petrus ipsius pastor atque vicarius Christi maxime ecclesiis nondum perfecte fundatis et recursum habentibus ad caeteros Apostolos per orbem dispersos qui eas fundaverant et facultatem habebant creandi et constituendi episcopos atque disponendi quae necessaria erant.

3.<sup>a</sup> est, quia in Veteri Lege, Aaron constituit Deus Summum Sacerdotem et Pontificem maximum neque in eo sacerdotium et summus pontificatus finitus fuit, sed ex institutione divina perpetuo mansit dignitas illa in synagoga et duravit usque ad adventum Christi. De Caipha enim pessimo dixit Ioannes quod cum esset Pontifex anni [f. 286v] illius prophetavit<sup>372</sup>. Deuteronomii etiam 17<sup>373</sup> praecipiebat Deus causas dubias et difficiles deferri ad Summum Pontificem pro tempore futuro, omnesque starent iudicio et sententiae illius et ut interficeretur qui sententiae illius stare nollet. Quis ergo credat Christum in Ecclesia eum Summum Pontificatum instituisse, qui in Petro finiretur et non potius qui perpetuo maneret in Ecclesia ad regimen et gubernationem illius? Plane incredibile est. Non ergo soli Petro, sed successoribus etiam Romanis Pontificibus reliquit Christus pontificatum.

4.<sup>a</sup> est, quia inter regimina illud praecipuum est quod ad unum supremum caput reducitur. Hoc ergo reliquit Christus sapientia summa in sui discessu Ecclesiae quam fundavit; cum ergo non aliud unum supremum caput visibile ad quod reducat et quod in absentia Christi Ecclesiam gubernet quam Petrus et successores ipsius, neque modo controvertamur cum haeticis utrum sit aliud, sed utrum sit hoc, quasi Christus instituerit unum supremum caput loco sui quod perpetuo esset in Ecclesia, fit ut ad-

† 372. Jn 11, 51.

- 373. Dt 17, 9-13.

mittendum sit Petrum et successores ipsius Romanos Pontifices vicarios Christi esse et pastores universales Ecclesiae. Et confirmatur haec ratio, quia si non est hoc regimen quod Christus instituit in Ecclesia, quale ergo et ad quot et quae capita reducit? Atque unde id colligunt ex Scripturis aut traditione? Et si inter huiusmodi capita orta fuerit controversia aliqua quis componet illam aut quis coget concilia, et continebit Ecclesiam in unitate fidei, pace et tranquillitate? quis etiam ministros Ecclesiae constituet? Unusquisque enim pro suo arbitratu in sua civitate eliget doctrinam quae sibi magis placuerit, esto in ea a reliqua Ecclesia dissentiat aut se ipsum instituet episcopum vel ministrum Ecclesiae. Quis non videat stultitiam esse cogitare talem Christum instituis[f. 287r]se Ecclesiam suam? Et plane (ut probe Osius, De fide et symbolo, cap. 26<sup>374</sup> notavit) qui non credit Ecclesiam super Petrum et successores suos fundatam, de qua Christus dixit: *et portae inferi non praevalent adversus eam*, eaque nota utitur ad discernendum veram Ecclesiam a falsa haereat atque vagetur per infinitas sectas necesse est, quaerens veram Ecclesiam inter commentitias; continuo namque Lutherus illi dicet: ecce haec est vera Ecclesia, et Calvinus, quia Luthero in multis sicut coelum a terra distat, illi dicet: ecce non illa sed haec est; et Anabaptistae, Adamitae et Iconomachi et sexcenti alii in quos est divisa secta Lutheri idem illi dicent, ostendentes illis diversas ecclesias; idemque facient quotquot haeresiarchae a principio nascentis Ecclesiae orti sunt, contententes singuli suam fidem esse consonam Scripturis atque Ecclesiam super Christum fundatam, et certe haeretici non alia de causa negant Summum Pontificem et Ecclesiam fundatam super Petrum et successores ipsius, nisi ut liberum sit illis sequi quae vellent; facile enim intelligunt admissa hac veritate patentissima ex Scripturis et receptissima a principio nascentis Ecclesiae sectas atque errores ipsorum non posse subsistere.

His vero rationibus praetermissis subiungamus traditionem patentissimam quae de hac re est; atque ut a Summis Pontificibus ordiamur, in primis B. Clemens Petri discipulus eique eiusdem Petri ordinatione successor in pontificatu, in epistola prima

374. HOSIUS, ESTANISLAO, *Confessio catholicae fidei christiana*, c. 26: ed. c. (Venecia 1573), ff. 24v-25.

ad Iacobum fratrem Domini<sup>375</sup>, 1.º tomo Conciliorum ita inquit: Simon Petrus qui fundamentum Ecclesiae diffinitus est, qua de causa ore Domini cognominatus est Petrus, et electione Domini fuit Apostolorum primus, mortem suam praesentiens in conventu fratrum apprehensa manu mea inter alia dixit; Hunc Clementem episcopum [f. 287v] vobis ordino cui soli meae praedicationis et doctrinae cathedram trado, ipsique trado a Domino mihi traditam potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus quaecumque decreverit in terris decretum sit et in coelis, etc. Et inferius in progressu epistolae dicit se episcopos, archiepiscopos, primates, patriarchas misisse et instituisse per diversa loca et provincias prout Petrus decreverat faciendum<sup>376</sup>. Et addit Petrum docuisse episcopos vicem Apostolorum gerere et reliquos praesbiteros viam reliquorum discipulorum iuxta institutionem Christi, neque mirum esse si in gradu episcoporum quidam sint Archiepiscopi, quidam primates, et quidam Patriarchae ad quos causae inferiorum deferantur quando neque inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus praefuit. Et in hac epistola ad Iacobum, appellat Petrum omnium Apostolorum patrem<sup>377</sup>, qui claves regni coelestis accepit. Anacletus praeterea martyr, natione graecus, qui ut in suis epistolis ait a B. Petro fuit praesbiter ordinatus et Clementi successit in pontificatu ante mortem Ioannis Evangelistae et Simonis Apostoli, epistola 1.<sup>a</sup><sup>378</sup>, 1.º tomo conciliorum, ita inquit: Apostoli hoc statuerunt iussione Salvatoris ut maiores et difficiliores quaestiones semper ad sedem deferantur apostolorum super quam Christus universam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad B. Principem Apostolorum Petrum: *Tu es Petrus, etc.* Et epistola 3<sup>379</sup> ita inquit (et refertur 22 dist., cap. Sacrosancta<sup>380</sup>): Haec sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas ecclesias ac totum christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus etc.* Et addit martyrio B. Petri et Pau[f. 288r]li eadem die et eodem tempore consecratam esse. Et infra<sup>381</sup>: 2.<sup>a</sup> sedes apud

o 375. PSEUDOCLEMENS, *Epistola ad Iacobum, fratrem Domini*, 1: PG 1, 473s.

o 376. *Id.*, *ib.*: *ib.* 475s.

o 377. *Id.*, *Epistola II ad Iacobum, fratrem Domini*: *ib.*, 483 C.

o 378. ANACLECTUS (?), *Epistola* 1, 4: Mansi, 1, 606 A.

c 379. ANACLETUS (?), *Epistola* 3, 3: Mansi, 1, 616 E-617 A.

✓ 380. C. I. C., c. 2, D. XXII: ed. Friedberg, 1, 73s.

o 381. ANACLETUS (?), *Epistola* 3, 3: Mansi, 1, 617 C.

Alexandriam B. Petri nomine a Marco eius discipulo atque Evangelista consecrata est. 3.<sup>a</sup> sedes apud Antiochiam eiusdem B. Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, quia illic priusquam Roman veniret habitavit, et Ignatium Episcopum constituit, etc. Adverte tamen quod ut habetur in concilio Calcedonensi<sup>382</sup> et in Florentino<sup>383</sup> in litteris Sanctae unionis, aedificata Constantinopoli per Constantinum atque Roma nova nuncupata Ecclesia Constantinopolitana secunda in dignitate post antiquam Romam dicta est. Quintum vero locum tenet Ierosolymitana. Subiungit inferius Anacletus<sup>384</sup>: inter ipsos etiam Apostolos quaedam fuit differentia, et licet omnes essent Apostoli, Petro tamen a Domino est concessum (et ipsi inter seipsos voluerunt) ut reliquis omnibus praeesset Apostolis et Cephas, id est, caput et principium teneret Apostolatus, qui et eandem formam suis successoribus et reliqui apostoli episcopis tenendam tradiderunt. Plane qui epistolas B. Anacleti legat<sup>r</sup> inveniet eam dignitatem et potestatem habuisse tunc Summum Pontificem episcopum urbis Romae in universam Ecclesiam, quam hodie inter catholicos atque ipsi subiectos habet.

Evaristus, qui Anacleto successit in pontificatu, epistola prima<sup>385</sup> quae est ad episcopos africanos, qui apostolicam sedem consuluerunt, ita inquit: dilectio iuxta normam sequuta prudentium ad sedem apostolicam referre maluit, quasi ad caput qui deberet de rebus dubiis custodire potius quam usurpatione praesumere. Alexander I, qui Evaristo successit tempore Traiani, epistola prima<sup>386</sup> adversus orthodoxos, ubi inquit: relatum est ad huius sanctae apostolicae sedis apicem cui summarum dispositiones causarum et omnium negotia ecclesiarum sic ab ipso Domino tradita sunt quasi ad caput, ipso dicente principi Apostolorum Petro: *Tu es Petrus etc.* [f. 288v] Similia his, quae retulimus ex his summis pontificibus, affirmat Sixtus primus qui Alexandro successit epistola 2.<sup>a</sup>. Pius I, epistola prima<sup>387</sup>; Victor, epistola

r. MS: leget.

○ 382. *Concilium Calcedonense*. cn. 28: COeD, 100.

○ 383. *Concilium Florentinum*. Decretum unionis: COeD, 528, 33-38.

○ 384. ANACLETUS (?), *Epistola* 3. 3: Mansi, 1, 617 D.

○ 385. EVARISTUS (?), *Epistola ad omnes episcopos africanos*: Mansi, 1, 623 D.

○ 386. ALEXANDER I (?), *Epistola ad omnes orthodoxos*: Mansi, 1, 635 D.

○ 387. SIXTUS I, *Epistola 2 universis ecclesiis directa*, 2: Mansi, 1, 653 E-654 B.

○ 388. PIUS I (?), *Epistola 1 ad universos Christi fideles*, 1: Mansi, 1, 673 A.

prima<sup>389</sup>; Cepherinus qui Victori successit epistola prima<sup>390</sup>. Marcellus, Eusebius, Melchiodorus, Marcus, Sixtus II, Felix, Iulius I, Damasus, Innocentius I, Leo I, Gelasius, Vigilius, Pelagius II, D. Gregorius et plerique alii summi pontifices recentiores quorum testimonia et loca invenies apud Canum, 6 de locis, cap. 4<sup>391</sup> et apud alios. Ex his autem summis pontificibus quidam graeci fuerunt, quidam galli, alii germani, alii hispani, alii africani, plurimi sanctissimi martyres, alii relati in catalogo sanctorum confessorum et quidam eorundem apostolorum discipuli quorum testimonium irrefragabile est omnino.

Ut vero ad Concilia veniamus, Iulius I in rescripto contra orientales pro Athanasio, primo tomo Conciliorum, cap. 2 et 3 illius epistolae<sup>392</sup>, citat hos canones ex Concilio Nicaeno<sup>393</sup>: omnes episcopi in gravioribus causis libere apostolicam appellent Sedem atque ad eam quasi ad matrem confugiant, cuique dispositione omnes maiores ecclesiasticas causas antiqua apostolorum auctoritas reservavit. Quanquam accusati Pontificis causam cum provincialibus episcopis ventilari liceat, non tamen inconsulto Romano Pontifice diffinire cum B. Petro Apostolo non ab alio quam ab ipso Domino dictum sit: *Quaecumque ligaveris super terram, etc.* Licet autem hi canones in nostris nunc exemplaribus non habeantur in Concilio Nicaeno, idem tamen Iulius, cap. 29 eiusdem epistolae<sup>394</sup> iureiurando affirmat eos in scrinio Romanae sedis haberi. Praeterea cum illis agebat in ea epistola quorum plurimi interfuerant Nicaeno Concilio. Eisdem canones esse Concilii Nicaeni testantur Athanasius et Pontifices aegyptiorum, Thebaidae et Libyae in epistola ad Felicem<sup>395</sup>, qui Patres eidem Concilio interfuerunt [f. 289r] atque in eadem epistola affirmat eos et plerosque alios eiusdem concilii ab haereticis esse infensos et ablatos. Praeterea, Faustinus, Philippus et Aselius apostolicae

? ◀ 389. VICTOR I (?), *Epistola 1 ad Theophilum Alexandriae episcopum*, 3: Mansi, 1, 701 D-E.

○ 390. ZEPHERINUS (?), *Epistola 1 ad episcopos omnes sicilienses*: Mansi, 1, 730 D-731 A.

391. CANO, *De locis*, l. 6, c. 4: ed. Serry c., 1, 409-415.

○ 392. PSEUDO IULIUS I, *Rescriptum contra orientales pro Athanasio et ceteris*, c. 2 et 3: Mansi, 2, 1185 B-C.

◀ 393. *Concilium Nicaenum*, cn. 71: Mansi, 2, 1005 A-C.

○ 394. PSEUDO IULIUS I, *Rescriptum contra orientales pro Athanasio et ceteris*, c. 29: Mansi, 2, 1188 B.

○ 395. PSEUDO ATHANASIUS, *Epistola ad Felicem papam*: PG 28, 1473 D, 1476 C y 1478 B.

Sedis legati in Concilio Sexto Carthaginiensi cap. 2<sup>396</sup>, idem protulerunt diffinivisse Concilium Nicenum. Praeterea Pelagius, 17 d., cap. Multis<sup>397</sup>, Innocentius I, ad victricem<sup>398</sup> et Leo ad Theodosium Iuniorum<sup>399</sup> hoc ipsum affirmant. Athanasius praeterea in epistola ad Marcum summum pontificem<sup>400</sup> et Marcus illi rescribens<sup>401</sup> testantur canones concilii Nicaeni fuisse 70, cum tamen in communibus exemplaribus 20 tantum habeantur.

Deinde in Concilio Chalcedonensi, act. 1<sup>402</sup> Leo dicitur apostolicum gubernare thronum et sedes romana caput omnium ecclesiarum. Et act. 3<sup>403</sup> patres ibi congregati romanum episcopum Dominum nostrum vocant apostolicumque et universalem appellant et eius doctrinam ut B. Petri amplectuntur atque universa concilii dogmata optant sedis apostolicae autoritate confirmari. Et cum Leo Dioscorum condemnasset, synodus ait<sup>404</sup>: sanctissimus archiepiscopus magnae Romae una cum beatissimo Petro, qui est petra et crepido catholicae ecclesiae et ille est rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate. Et in epistola Synodi ad Leonem gratulantur Patres quod tantum episcopum apostolicae Sedi unde religionis nostrae fons et origo manat Dominus dederit. D. Thomas in Opusculo contra errores graecorum<sup>405</sup> refert ex Concilio Chalcedonensi quae sequuntur: Veneramur secundum Scripturas et canonum diffinitionem sanctissimum antiquae Romae episcopum primum esse [et] maximum episcoporum. Et infra: Si quis episcopus praedicatur infamis liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum antiquae Romae episcopum, quia habemus Petrum petram refugii et ipsi

C 396. *Concilium Carthaginense*, c. 2: Mansi, 4, 403 B. Las palabras textuales son: «Hoc est, de nicaenis canonibus ut conserventur et constitutio eorum et consuetudo, quia aliqua ordine et canone tenentur, alia consuetudine firmata sunt.»

\* 397. C. I. C., c. 5, D. XVII: ed. Friedberg, 1, 51s.

398. INNOCENTIUS I (?), *Epistola ad Victricem*: Cfr. JOVER, o. c., t. 3, f. 134r D. R<sub>K</sub>

399. LEO I, *Epistola ad Theodosium Augustum*, 43: PL 54, 821-826. P

400. PSEUDOATHANASIUS, *Epistola ad Marcum*: PG 28, 1446 B.

401. PSEUDOMARCUS, *Epistola ad Athanasium*: PG 28, 1448 A.

402. *Concilium Chalcedonense*, act. 1: Schwartz, ACO, II, 3 1, 40.

403. *Id.*, act. 3: Schwartz, II, 3 2 [352] 93: En la relación enviada por el Concilio al Papa León se dice: «Vocis beati Petri omnibus constitutus interpres et eius fidei beatificationem super omnes adducens.»

404. *Concilium Chalcedonense*, act. 3: Schwartz, II, 3 2: 46 [305], 21-25. La frase «fons et origo» del texto no la hemos podido encontrar en ninguna de las dos versiones que trae Schwartz en la carta del Concilio al papa León.

405. THOMAS AQUINAS, *Opusculum contra errores Graecorum*, 3, p. 2, c. 21: ed. Vivès, París, 1876, p. 369; c. 24: *ib.*, p. 370.

soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi secundum claves a Domino [f. 289v] sibi datas, et omnia ab eo diffinita teneantur tanquam a Vicario apostolici throni. Haec tamen in exemplaribus communibus non reperiuntur, sed Gregorius, epistolarum, 5.º libro, epist. 14<sup>406</sup> conqueritur ab haereticis esse abrasa.

In Quinta synodo universalis, quae est Concilium Constantinopolitanum II<sup>º</sup>, act. 4<sup>407</sup>, in sententia Menae contra Antimum habetur etiam confessio primatus Romanae Ecclesiae<sup>t</sup>. Et in Sexta Synodo, quod est Concilium III Constantinopolitanum, in confessione fidei quam Agato, romanus episcopus ad Concilium misit et suscepta a Patribus act. 8, 13 et 17<sup>408</sup>; et in septima synodo, quae est Nicaena II, in epistola Adriani I quae habetur act. 2<sup>409</sup>, et a Patribus eadem actione suscepta est; et in 8.ª synodo generali, quae est Concilium Constantinopolitanum IV, act. 1<sup>410</sup> in approbatione libelli a sancta ecclesia romana missi et act. 10, canon 21<sup>411</sup>. Concilia generalia hactenus recitata in Graecia celebrata sunt.

In Concilio Lateranensi sub Innocentio III, cap. Damnamus, de summa Trinitate et fide catholica<sup>412</sup>, Romana Ecclesia dicitur quae disponente Domino cunctorum fidelium mater est et Magistra. Idem dicitur in concilio Lugdunensi, sub Gregorio X, cap. Fideli, De summa Trinitate et fide catholica, 1.6<sup>413</sup>; et in concilio

s. MS: Constantinense 2.

t. En el MS se repite *confessio*.

406. GREGORIUS I, *Registrum epistolarum* (l. 6, c. 14): PL 77, 806 C: En esta carta se dice: «Quia sicut Calcedonensis Synodus in uno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsata est, sic aliquid in Ephesina synodo factum est».

407. *Concilium Constantinopolitanum*, act. 4: Mansi, 8, 969 B. No es el Concilio Constant. II, 5.º ecuménico.

408. *Concilium Constantinopolitanum III*, Confessio fidei: Mansi 11, 683 C. En la carta enviada por el Concilio al Papa Agatón, se le dice: «Itaque tibi, ut primae Sedis antistiti universalis Ecclesiae quid agendum sit reliquimus».

409. *Concilium Nicaenum II*, act. 2: V. en CARRANZA, *Summa Conciliorum*, Salamanca 1549, p. 493, uno de los libros que manejaba Molina. Véase también HARDUIN, *Acta Conciliorum*, t. 4: Epistola del Papa Adriano a Tarasio, patriarca de Constantinopla, p. 98, 99, 102, 103; carta recibida y aceptada por el Concilio; ib., 103.

410. *Concilium Constantinopolitanum IV*, act. 1: HARDUIN, *Acta Conciliorum*, t. 5, 773s.

411. *Concilium Constantinopolitanum IV*, cn. 21: COeD, 182.

412. *Concilium Lateranense IV*, cap. Damnamus, Const. «De Summa Trinitate et fide catholica», c. 2: COeD, 233, 4-5.

413. *Concilium Lugdunense II*, cap. Fideli: COeD, 314, 13-14.



Lugdunensi sub Innocentio IV, cap. 1<sup>414</sup>, de Homicidio, 1.6. In concilio Constantiense, sess. 6, damnati sunt articuli Wiclef 37<sup>415</sup> in quo dicebat Papa non est immediatus vicarius Christi. Et 41<sup>416</sup> in quo asserebat non est de necessitate salutis credere romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias. Et sess. 15 damnati sunt articuli Ioannis Hus 7.<sup>o</sup> 417 in quo asserebat Petrus non fuit caput romanae Ecclesiae sanctae et catholicae; et 9<sup>418</sup> in quo asserebat: "papalis dignitas a Caesare inolevit"; atque aliae similes sequentes. Denique in Concilio Florentino, in litteris sanctae unionis ex consensu latinorum [f. 290r] et graecorum ita diffinitum est<sup>419</sup>: Diffinimus sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum pontificem romanum successorem esse B. Petri principis apostolorum, et verum Domini vicarium totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum et in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. Et in Concilio Tridentino, sess. 7, can. 3<sup>420</sup> de baptismo; sess. 14, cap. [3]; et 22, cap. 8, Ecclesia romana omnium ecclesiarum mater et magistra dicitur. Denique non solum Concilia Generalia per summos pontifices confirmata sunt petentibus Patribus conciliorum ut Nicaenum, Calcedonense et alia, sed etiam provincialia. De Milevitano in Africa testatur Augustinus, epist. 90 et 91<sup>421</sup>; Carthaginense III et IV confirmavit

× 414. *C.I.C.*, c. 1, in Sexto, de homicidio, V, 4: ed. Friedberg, 2, 1080. No hemos encontrado ni en esta edición ni en otras del Derecho las palabras que indica Molina. Véase la misma cita en *CANO, De locis*, l. 6, c. 6: ed. c., 1, 422 y nota 7. *de Law?*

⊂ 415. *Concilium Constantiense*, sess. 8, errores Wiclef, prop. 37: COeD 413.

⊂ 416. *Id.* ib. a. 41: ib., 413.

⊂ 417. *Concilium Constantiense*, sess. 15, Errores Ioannis Hus, prop. 7: COeD, 429.

⊂ 418. *Id.*, ib., prop. 9: ib., 429.

⊂ 419. *Concilium Florentinum*, Decretum unionis Graecorum: COeD, 528, 15-30.

⊂ 420. *Concilium Tridentinum*, sess. 7, cn. 3: COeD, 685, 27-28; sess. 14, c. 3 de extrema unctione: ib., 711, 20; sess. 22, c. 8: ib., 735, 12.

⊂ 421. AUGUSTINUS, *Epistola 176 y 182*: CSEL 34/2, 663-668 y 715-723. (Carta de los obispos que asistieron al Concilio Milevitano al Papa Inocencio y respuesta de éste.)

Zosimus<sup>422</sup>; Tellense a Siricio<sup>423</sup> confirmatum est petentibus Patribus concilii; et ita de aliis.

Ut vero testimonia antiquorum Patrum etiam subiciamus, praeter citatos in superioribus, Irenaeus, 3 lib., cap. 3<sup>424</sup>, de Ecclesia romana, quam affirmat a Petro et a Paulo fundatam, ita ait: "Ad hanc ecclesiam propter potentialem potentialitatem necesse est omnem convenire ecclesiam", hoc est, omnes undique fideles, in qua semper conservata est quae ab apostolis est traditio, et numerat pontifices romanos qui Petro successerunt usque ad suam aetatem. Augustinus, contra Epistolam Manichaei, cap. 4<sup>425</sup>: "Multa, inquit, sunt quae me in ecclesiae gremio iustissime tenent; tenet consensus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, etc.; tenet ab ipsa sedis apostoli Petri cui pascendas oves suas Dominus commendavit usque ad praesentem episcopum sacerdotum successio". Et in Epist. 102<sup>426</sup>, ac alibi, semper agnoscit romanum pontificem supremum caput ad quod deferebantur causae et ad quem in Africa appellabant, ibique Melchiades qui tunc [f. 290v] praerat ecclesiae et per quem dicit Cecilianum, carthaginensem episcopum suae sedi fuisse restitutum, appellat patrem christianae plebis. Optatus, 2 contra Donatistas ait<sup>427</sup>: "Petro collatam esse cathedram in qua sederet omnium apostolorum caput, in quo uno cathedrae unitas servaretur ut iam schismaticus esset qui contra singularem ca-

422. ZOSIMUS. Escribió al Conc. de Cartago del año 418. Y en un fragmento de su Epístola trac[ta]toria que se conserva en la carta 21 de Celestino (PL 20, 694 A) y testimonios de Próspero y S. Agustín (cfr. ib., 694 B-C) consta de la aprobación de ese Concilio Cartaginense.

423. SIRICIUS, *Epístola* 5: PL 13, 1155-1162. En las columnas anteriores (1149-1155) puede encontrarse la discusión sobre la autenticidad de esta carta, del Concilio Teleptense, etc.

424. IRENAEUS, *Adversus Haereses*, I, 3, c. 3, n. 2: PG 7, 848 B. El texto de Ireneo dice: «...propter po[ten]t[i]orem principalitatem»: cf. EP (Rouët)<sup>18</sup> 210.

425. AUGUSTINUS, *Contra epistolam quam vocant Fundamenti*, 4: CSEL 25, 4-16: «In catholica enim ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spiritalis in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant —ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit— ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in ecclesia esse catholica non creditis, multa sunt alia, quae in eius gremio me iustissime teneant. Tenet consensus populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum...».

426. AUGUSTINUS, *Epístola* 43 (5), 14ss: CSEL 34/2, 96ss.

427. OPTATUS, *Contra Parmeniam Donatistam*, I, 2, c. 2: CSEL 26, 36.

thedram aliam collocaverit". Eiusdem sententiae apertissime sunt Cyprianus<sup>428</sup>, De simplicitate praelatorum, et in epist. ad Cornelium, lib. 1.<sup>o</sup> et ad Papianum, lib. 4; unde cap. Loquitur Dominus 24, q. 1<sup>429</sup>; Ambrosius, De excessu fratris, cap. 7 et serm. 47 De fide Petri<sup>430</sup>. Hieronymus, in epist. ad Damasum, De nomine hypostasis<sup>431</sup> et refertur 24, q. 1, cap. Quoniam vetus<sup>432</sup>; et lib. 1, Contra Rufinum, atque lib. 1 Contra Iovinianum<sup>433</sup>; Bernardus, epist. 131, ib. 237 et De consideratione ad Eugenium<sup>434</sup>, ac alibi; Athanasius, in epist. ad Marcum<sup>435</sup> ita inquit: Domino sancto et apostolici culminis venerando Marco sanctae romanae et apostolicae sedis atque universalis ecclesiae Papae, Athanasius et universi aegyptiorum episcopi. Et adverte Athanasium, Flavianum et Chrysostomum per romanos pontifices suis sedibus in Graeciam fuisse restitutos, quod non fecissent nisi fuissent pastores universalis Ecclesiae. Si plura desideras testimonia, lege inter alios Canum, 6 De locis, cap. 5<sup>436</sup>; Castrum, Adversus haereses, verbo Papa, haeresi 1<sup>437</sup>; Driedonem, 4 De ecclesiasticis dogmatibus, cap. 3, p. 2<sup>438</sup>; Caietanum, t. 1 Opusculorum, tract. 3 De Romani Pontificis institutione, cap. 14<sup>439</sup>; Sotum, In IV, d. 24, q. 2, art. 5<sup>440</sup>; et Osium, De legitimis iudiciis, l. 2 Adversus Brentium a fol. 172<sup>441</sup>.

○428. CYPRIANUS, *De catholicae ecclesiae unitate* (vulgo *De simplicitate praelatorum*), praesertim c. 4: CSEL 3/1, 212s; *Epistola 45, 3 ad Cornelium*: CSEL 3/2, 602, 18-19; *Epistola 33*: CSEL 3/2, 566.

× 429. *C. I. C.*, c. 18, C. XXIV, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 971s.

○ 430. AMBROSIUS, *De excessu fratris*. No hemos podido encontrar esta cita en ninguno de los dos libros de esta obra (que por otra parte no está dividida en capítulos).

*Sermo 47*. Se refiere al sermón que se encuentra entre las obras de S. Agustín (PL 39, 2102s) y se atribuye a S. Máximo de Turín (PL 57, 353-356).

○ 431. HIERONYMUS, *Epistola 15, 1-2 ad Damasum*: CSEL 54, 62ss.

× 432. *C. I. C.*, c. 25, C. XXIV, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 975.

○ 433. HIERONYMUS, *Apologia adversus libros Rufini*, l. 1, 4: PL 23, 418. (Puede referirse a este texto.) *Adversus Iovinianum*, l. 1, 26: PL 23, 258 C.

○ 434. BERNARDUS, *Epistola 131, 2*: PL 182, 586s; *Epistola 237 De consideratione ad Eugenium*, 2: ib., 427 A.

○ 435. PSEUDOATHANASIUS, *Epistola ad Marcum*: PG 28, 1445 A.

436. CANO, *De locis*, l. 6, c. 5; ed. Serry c., 1, 416ss.

437. CASTRO, ALFONSO DE, *Adversus haereses, v. Papa, haeresi 1, l. 12: e. c., f. 338 C-343 B*.

438. DRIEDO, JUAN, *De ecclesiasticis scripturis et dogmatibus*, l. 4, c. 3, p. 2: e. c., 1, ff. 226v-233r.

439. CAIETANUS, *De divina institutione Pontificatus totius Ecclesiae in persona Petri Apostoli*: Opusculorum t. 1, Venecia 1588, tr. 3, c. 14: p. 66ss.

440. SOTO, DOMINGO, O. P., *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus secundus*, d. 24, q. 2, art. 5: Salamanca 1560, p. 39 b-40 b.

441. HOSIUS, ESTANISLAO, *Confutatio prolegomenon Brentii*, l. 2: De legitimis iudiciis rerum Ecclesiasticarum: e. c. (Venecia 1573), f. 222s.

Ex dictis facile erit intelligere, omnes qui ab Ecclesia Romana et summo Pontifice sunt divisi non solum schismaticos esse, sed etiam haereticos, si pertinaciter credant summum Pontificem non esse caput totius ecclesiae universalis. Quod si aliqui divisi sint ab aecclesia et pontifice romano [f. 291r] absque errore pertinaci intellectus, schismatici erunt, quia ita sunt divisi, non tamen haeretici. Verum de schismate sermo erit inferius, q. 39 cum D. Thoma. Formam confessionis praescriptam ab aliis summis Pontificibus quam teneantur facere divisi ab ecclesia Romana antequam ad illius unionem et communionem admittantur, habes apud Canum 6 De locis, cap. 4<sup>42</sup>.

### De collatione Petri ad caeteros Apostolos quoad potestatem.

#### Disputatio 5.

Praetermissis aliis opinionibus Turrecrematae, 2 libro Summae per plura capita, maxime cap. 77<sup>43</sup> et quorundam aliorum. quos recitant Caietanus, 1.<sup>o</sup> tomo Opusculorum, tract. 1, cap. 2<sup>44</sup> et Sotus, in IV, d. 20, q. 1, art. 2 et 4<sup>45</sup>, dicendum est cum Caietano<sup>46</sup> et Soto<sup>47</sup>, et plerisque aliis, Petrum et reliquos apostolos considerari posse primo quatenus Apostoli sunt, quorum munus personale fuit in unoquoque eorum, ita quod in unoquoque eorum exspiravit neque derivatum fuit ad successores. Porro apostoli munus idem est quod missi ac legati a Christo ad denunciandum Evangelium universo mundo loco sui, fundanda fide ac regendo ecclesias, iuxta illud 2 Cor 5<sup>48</sup>: *Pro Christo legatione fungimur*; et Eph 6<sup>49</sup>: *Ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium evangelii, pro quo legatione fungor.*

442. CANO, *De locis*, l. 6, c. 4: ed. Serry c., 1, 415.

443. JUAN DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia*, l. 2, c. 77: ed. c. (nota 282) a f. 207. Mejor, desde el cap. 37: f. 151.

444. CAIETANUS, *De comparatione auctoritatis Papae et Concilii*, c. 2: Opusculorum t. 1, tr. 1, e. c., p. 6.

445. SOTO, DOMINGO, O. P., *Commentariorum... in Quartum Sententiarum tomus primus*, d. 20, q. 1, a. 2: Salamanca 1557, p. 934 b; d. 20, q. 1, a. 4: ib., 942 b.

446. Véase la nota 444: c. 3: e. c., p. 6s.

447. Véase la nota 445.

→ 448. 2 Cor 5, 20.

+449. Ef 6, 19.

Et de apostolis canit Ecclesia in praefatione Apostolorum: Quos operis tui vicarios eidem contulisti praesse pastores.

Duo ergo ad munus apostolatus pertinent ad quae caetera reducuntur, ut colligitur ex Divo Thoma <sup>450</sup> super illud 1 Cor. 12 <sup>451</sup>: *quosdam posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, etc.*, iuncta glossa interlineali in verbo apostolos <sup>452</sup>. Alterum est denuntiare Evangelium et fundare fidem, ad quod facultas condendi Scripturam Sacram requiritur et assistentia Spiritus Sancti in docendo et scribendo [f. 291v] immo et facultas faciendi miracula in confirmationem eiusdem fidei et doctrinae; unde apostolis quos elegit Lucae 6 <sup>453</sup> quando primum misit illos praedicare Lucae 9 <sup>454</sup>, Matthaei 10 <sup>455</sup> et Marci 7 <sup>456</sup> dedit Christus potestatem miracula faciendi. Alterum est fundare et regere ecclesias per orbem, ad quod et plena potestas clavium requiritur ad administrandum omnia sacramenta, ordinandum sacerdotes, episcopos, etc. et plena potestas iurisdictionis in orbem. Haec autem omnia Christus per se ipsum omnibus apostolis contulit ante Ascensionem suam ad Patrem, et non per Petrum aut aliquem alium; atque ut ad tantum munus essent apti, illis etiam dedit primitias gratiae in adventu Spiritus Sancti, ut Paulus ait Romanos 8 <sup>457</sup>. Quae omnia facile erit ostendere.

In primis, Christus ipse Lucae 6 <sup>458</sup> et Marci 3 <sup>459</sup> per se ipsum creavit eos apostolos antequam Petrum caput Ecclesiae constituerit, immo antequam illi promitteret; non tamen contulit illis statim omnia quae ad illud munus obeundum erant necessaria, quoniam ante adventum Spiritus Sancti non erant illud perfecte obituri. Et advertite quod constituere apostolos non ad alium quam ad Christum spectat. Unde Paulus Gal 1.º <sup>460</sup> dicit se esse apostolum non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Chris-

450. THOMAS AQUINAS, *Expositio in omnes sancti Pauli Epistolas*, In 1 Cor 12, lect. 3: ed. Opera omnia, Vivès, t. 20, Paris 1876, p. 751.

+ 451. 1 Cor 12, 28.

452. WALAFRIDUS STRABUS, *Glossa ordinaria*, 1 Cor 12, 28: PL 114, 542. «Primum, dignitate et tempore *apostolos* viceChristi praedicantes et omnium iudices».

+ 453. Lc 6, 13s.

+ 454. Lc 9, 1s.

+ 455. Mt 10, 5-8.

+ 456. Mc 6, 7.

+ 457. Rom 8, 23.

+ 458. Lc 6, 13.

+ 459. Mc 3, 13s.

+ 460. Gal 1, 1.

tum, et accepisse Evangelium non ab apostolis, sed per revelationem Iesuchristi. Et quando Matthias constitutus est loco Iudae<sup>461</sup> prius ostendit Petrus ex Scripturis id praefinitum esse a Deo, et sortes miserunt, ut Christus ipse eum eligeret. Deinde donum miraculorum illis contulit Christus quando eos apostolos creavit, ut patet Marci 3<sup>462</sup>, et quando illos misit primo ad praedicandum, ut dictum est; tum etiam quando illos post resurrectionem misit ad praedicandum per universum mundum, ut patet Marci ultimo<sup>463</sup>. Praeterea potestatem clavium illis dedit plenam quando eos in coena creavit sacerdotes et quando post resurrectionem Ioannis 20<sup>464</sup> eis insuflavit et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*; et quando eos creavit [f. 292r] episcopos. Quando autem eos creaverit episcopos non est certum ex Scripturis, creatos tamen esse a Christo nemini fidelium est dubium, neque omnia quae Christus post resurrectionem ordinavit et fecit scripta sunt ab Evangelistis, cum autem episcopi Apostolis succedant, ut non est dubium, Apostolos episcopos fuisse, ita neque dubium est ante ascensionem a Christo episcopos creatos esse.

Plenam autem potestatem iurisdictionis in universum orbem et illis promisit Christus, una cum plena potestate clavium, Matthaei 18<sup>465</sup> dicens: *Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo*; et eis contulit Matthaei ultimo<sup>466</sup> dicens: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos [...] et docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Marci ultimo<sup>467</sup>: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*. Et Ioannis 20<sup>468</sup>: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*. Unde singuli apostoli in universum orbem acceperunt plenam potestatem et iurisdictionem; ipsi vero inter se dividerunt orbem ut commodius ubique disseminaretur verbum Dei. Denique in adventu Spi-

---

+ 461. Hch 1, 16.

+ 462. Mc 3, 15.

+ 463. Mc 16, 17s, 20.

+ 464. Jn 20, 22.

+ 465. Mt 18, 18.

+ 466. Mt 28, 18s.

+ 467. Mc 16, 15.

+ 468. Jn 20, 21.

ritus Sancti confirmati sunt in gratia et plene ac perfecte illuminati sunt atque idonei facti ad munus apostolatus, neque poterunt errare in doctrina fidei et morum tam in docendo quam in scribendo.

Illud vero est hic admonendum: Apostolos qui post ascensionem Christi a Deo vocati sunt in apostolatam, ut Matthias, Paulus et Barnabas, non a Christo immediate ordinatos esse episcopos, immo neque sacerdotes, sed per manus apostolorum aut aliorum episcoporum. Unde communis expositio illius loci Act 13<sup>469</sup>: *dixit Spiritus Sanctus, segregate mihi Saulum et Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos, et ieiunantes imponentesque eis manus dimiserunt illos*, est quod per illam manuum impositionem or[f. 292v]dinati sunt. Victoria praeterea, 2.<sup>a</sup> Relectione de potestate Ecclesiae, q. 2 num. 12<sup>470</sup> docte ostendit solos duodecim apostolos creatos esse sacerdotes immediate a Christo et subinde episcopos. Haec de consideratione apostolorum qua apostoli sunt.

2.<sup>o</sup> considerari possunt Apostoli quatenus oves Christi erant, et subinde Petri, ut disputatione praecedenti visum est (neque enim oves Christi esse desinebant per hoc quod erant Apostoli); et Petrus non solum quatenus erat apostolus sed etiam quatenus simul erat petra et caput totius Ecclesiae ac pastor universalis et Vicarius Christi pro se et pro suis successoribus ex institutione Christi, ut ibidem ostensum est; neque enim munus pastoris universalis et vicarii Christi personale erat in Petro atque finendum cum vita ipsius, ut erat munus apostolatus.

Hoc praehabito, sit 1.<sup>a</sup> conclusio: Apostoli quoad ea quae ad munus apostolatus pertinent, videlicet promulgare Evangelium, fundare et defendere fidem, fundare ecclesias per universum orbem, constituere episcopos etc. et habere plenam potestatem non solum clavium, sed etiam iurisdictionis in totum orbem praeterquam in se invicem pares erant Petro, non obstante quod alias Petrus simul esset pastor et caput universalis Ecclesiae, et ipsi oves illius, probatur, quia, ut ostensum est, apostoli id habebant ex institutione Christi atque de iure divino et ob id illa in parte

↑ 469. Hch 13, 2.

470. VITORIA, FRANCISCO, *Relectio de Potestate Ecclesiae*, 2, q. 2, n. 12: ed. Venecia 1626, p. 87.

exempti erant a Petro etiam quatenus pastore et vicario Christi; potestas enim Summorum Pontificum in Ecclesia est salva ordinatione Christi atque his quae sunt de iure divino. Iuxta hanc conclusionem intelligenda sunt omnia quae sonant apostolos non fuisse inferiores Petro quale est illud Pauli ad Gal 2<sup>471</sup> quod Hierosolymis Petrus et alii apostoli nihil ei contulerunt, sed dexteram societatis ei dederunt, ubi contendit probare se etiam Petro non fuisse inferiorem in apostolatu, et illud eodem capite<sup>472</sup> quod Antiochiae restitit Pe[f. 293r]tro in faciem, quia reprehensibilis erat; ubi habet glossa<sup>473</sup>, ut par, illa scilicet in parte defendendi doctrinam Evangelii et tollendi quod vergere poterat in aliquale scandalum fidelium. Et Hieronymus ibidem<sup>474</sup> inquit, et refertur cap. Paulus, causa " 2.<sup>a</sup>, q. 7<sup>475</sup>: Petrum reprehendit quod non auderet nisi se non imparem sciret, illa scilicet in parte. Atque hac ratione D. Thomas, inferius, q. 33, art. 4 ad 2<sup>476</sup> ait Paulum quodammodo fuisse parem Petro, quamquam aliam rationem addat eo loco cum Augustino<sup>477</sup>, quare esto esset inferior, potuerit eum reprehendere. Et eandem etiam reddit Gregorius, cap. Paulus c. 2<sup>v</sup>, q. 7<sup>478</sup>. Iuxta eandem conclusionem intelligitur illud Act 8<sup>479</sup>: quod *cum audissent Apostoli qui erant Ierosolymis quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum et Ioannem*. Cum enim pares omnes essent in ministerio verbi, tractantes inter se qui deberent ire statuerunt ut irent Petrus et Ioannes, et id appellatur Apostolos misisse Petrum et Ioannem. Iuxta eandem conclusionem intelligitur illud Anacleti 21 d., cap. In novo<sup>480</sup> ubi ait: caeteri apostoli cum Petro pari consortio honorem et potestatem acceperunt; ibidem vero affirmat alias Petrum

u. MS, al parecer, 2.<sup>o</sup> 2.<sup>a</sup>.

v. MS, al parecer, v. 12.

↑ 471. Gál 2, 9.

↑ 472. Gál 2, 11.

473. Véase la nota 452: ib., col. 573s. No aparece explícitamente lo que Molina afirma en el texto. ?

○ 474. HIERONYMUS, *Commentarii in IV epistolas Paulinas* (ad Galatas, l. 1 [c. 2, v. 11-13]: PL 26, 363-367.

× 475. C. I. C., c. 33, C. II, q. 7: ed. Friedberg, 1, 493.

476. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologica*, II.II., q. 33, a. 4 ad 2: Ed. Leonina, 9, 266 b.

○ 477. AUGUSTINUS, *Epistolae ad Galatas expositionis liber unus*, 15: PL 35, 2114.

× 478. C. I. C., c. 28, C. II, q. 7: ed. Friedberg, 1, 491s.

+ 479. Hch 8, 14.

× 480. C. I. C., c. 2, D. XXI: ed. Friedberg, 1, 69s.

Wak/ndus J. Krebs



principem et superiorem Apostolis fuisse. Utrumque etiam affirmat Cyprianus, cap. Loquitur dominus, 24, q. 1<sup>481</sup>. Quae omnia confirmant nostram conclusionem.

2.<sup>a</sup> conclusio: Nihilominus Petrus caput et pater erat Apostolorum atque ipsis superior. Probatur conclusio, quia Petrus caput et pastor universalis Ecclesiae ac vicarius Christi erat constitutus pro se et suis successoribus; et Apostoli revera erant oves illius, tametsi ab eo quoad munus apostolatus exemptae; ergo aliquo modo Petrus erat apostolis superior eique peculiarem reverentiam debebant caeteri; unde si opus esset celebrare concilium, ad Petrum pertinebat caeteros convocare et praeesse concilio, atque ut caput primo loco sedere et loqui, immo et in ministerio verbi et caeteris rebus [f. 293v] dignitas Petri postulabat supra caeteros ut tametsi apostolatu caeteri illi essent pares, primas illi darent, quod et fecisse patet ex his quae disputatione praecedenti citavimus ex Actis Apostolorum<sup>482</sup>. Conclusio praeterea probatur ex testimoniis diputatione praecedenti citatis ex Clemente, Anacleto et aliis<sup>483</sup>, ubi Petrus caput Apostolorum, princeps et pastor dicitur.

3.<sup>a</sup> conclusio: Clemens qui Petro successit quadam ex parte excedebat Ioannem et alios Apostolos adhuc viventes, et quadam ex parte ab ipsis excedebatur; excedebat quidem quatenus illi revera erant oves ipsius, perinde atque Petri exemptae quoad munus Apostolatus; excedebatur vero, quia illi erant Apostoli et assistentiam habebant Spiritus Sancti ad condendum Scripturas Sacras et ad statuendum de novo res fidei in Ecclesia. Clemens vero non erat apostolus neque ad id habebat assistentiam, sed solum ad definiendum ea quae sunt fidei, quatenus in Scripturis aut diffinitionibus continentur aut ex illis deducuntur.

4.<sup>a</sup> conclusio: Episcopi Apostolis succedunt non quoad munus Apostolatus, sed quoad dignitatem Episcopatus; non tamen habent iurisdictionem in universum orbem ut apostoli, sed secundum praescriptionem apostolorum qui illos constituebant episcopos, et apostolis mortuis secundum praescriptionem Summi

x ● 481. C. I. C., c. 18, C. XXIV, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 971s.

482. Véase la p. 200. *NJ* *NJ*

483. Véanse las notas 375-379, 381, 384, etc.

Clemente ? Solo nombrado  
Anacleto ?

Pontificis a quo tota iurisdictio dependet. Quod Apostolis succedant Episcopi sicut presbiteri 72 discipulis Christi idque ex institutione eiusdem Christi, patet ex testimonio illo Clementis disputatione praecedenti citato<sup>484</sup>. Praeterea probatur ex Anacleto, cap. In novo, d. 21<sup>485</sup>; ex Urbano et Augustino, cap. Quorum vices, d. 68<sup>486</sup>; et ex concilio Florentino, in instructione Armenorum<sup>487</sup>, ubi de sacramento Confirmationis dicitur, ordinarius miter est episcopus, quia de solis apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant. Hactenus concilium Florentinum. Cum ergo illis non succedant in apostolatu eo quod munus apostolatus personale fuerit et finitum cum unoquoque apostolorum, fit ut succedant in dignitate episcopatus; et cum Apostoli ratione [f. 294r] Apostolatus habuerint iurisditionem in universum orbem, idque a Christo immediate, fit ut non sit eadem ratio de episcopis successoribus eorum, sed eam habeant iuxta praescriptum Apostolorum aut Summorum Pontificum, quibus regimen totius Ecclesiae commissum est et quorum est munera et iurisditionem distribuere prout melius viderint expedire ad regimen et bonum Ecclesiae. Et confirmatur hoc ex usu Apostolorum constituentium episcopos per diversa loca et dividendum illis dioeceses et ex usu qui usque in hodiernum diem perseverat in Ecclesia.

**Utrum Summus Pontificatus alligatus atque inseparabilis  
sit ab episcopatu Urbis Romae.**

**Disputatio 6**

Caietanus, 1.<sup>o</sup> tomo opusculorum, tractatu 2, capite 22<sup>488</sup> censet Summum Pontificatum ac munus pastoris universalis Ecclesiae alligatum et inseparabile esse ab episcopatu urbis Romae ex institutione Christi, quod probat ex historia illa qua Innocen-

<sup>484</sup> PSEUDOCLEMENS, *Epistola ad Iacobum, fratrem Domini I*: PG 1, 476 A.

<sup>485</sup> C. I. C., c. 2, D. XXI: ed. Friedberg, 1, 69s.

<sup>486</sup> C. I. C., c. 6, D. LXVIII: ed. Friedberg, 1, 255s. Cfr. AUGUSTINUS, *In Psalmum 44 enarratio*: CChr 38, 516.

<sup>487</sup> *Concilium Florentinum*, Decretum pro Armenis: COeD, p. 544, 10-18.

<sup>488</sup> CAIETANUS, *De comparata autoritate Papae et Concilii, Apologiae Pars II*, c. 22: ed. c., p. 45 b. Véase también: *De divina institutione pontificatus totius Ecclesiae in persona Petri Apostoli*, c. 13: ib., p. 64 a-b.

tius III, cap. Per venerabilem, qui filii sint legitimi<sup>489</sup>, usus est ad probandum locum quem elegit Dominus ut esset Apostolica Sedes esse Romam. Historia autem est quod cum Petrus carceribus egressus urbem fugiens exivisset, obviam illi factus est Christus ut eum Romam revocaret quo ibi maneret Sedes Apostolica et Summus Pontificatus, quem cum interrogasset Petrus: Domine quo vadis?, respondit Christus: eo Romam interum crucifigi; quod intelligens Petrus pro se dictum reversus est atque ibi crucifixus et martyrio coronatus vitam finivit. Eandem historiam refert Ambrosius, libro epistolarum, in epistola contra Ascensum<sup>490</sup> et Egessipus, 3 libro de excidio Hierosolymitano<sup>491</sup>.

Sotus, in 4, d. 24, q. 2, art. 5<sup>492</sup> in ea est sententia ut affirmet quod licet valde decens sit Sedem Petri [f. 294v] Summumve Pontificatum coniunctum esse cum episcopatu urbis Romae Romanae Sede quam Petrus sanguine suo decoravit, nihilominus Ecclesia potest statuere ut Summus Pontificatus seungatur ab episcopatu et sede urbis Romae, et in alia sede collocetur, imo potest efficere ut ita seungatur ut nulli alteri particulari sedi et ecclesiae applicetur, cuius Summus Pontifex peculiariter sit episcopus, sed solum maneat episcopus universalis orbis, perinde atque constituti sunt apostoli et erat Petrus antequam vel Antiochiam vel Romam eligeret in particularem sedem. Movetur autem primo, quia historia illa non tanta pollet autoritate ut rei tanti momenti solidum sit fundamentum, unde inquit, Innocentius non refert illam ut sacram; et praeterea, quia licet ex illa sequatur Christum voluisse ut Petrus Romam suo sanguine rubricaret, inde tamen non sequitur voluisse ut cathedra romana et Petri adeo essent coniunctae ut non possint invicem separari. 2.<sup>o</sup> movetur, quia nulli particulari Ecclesiae addictus fuit Petrus quando institutus est Ecclesiae pastor et caput; ergo nulla est ratio quare dicamus per mortem Petri Summum Pontificatum astrictum fuisse Ecclesiae Romanae; quin potius, inquit, postquam Petrus Antiochiae septem annis sedit, cathedram suam transtulit Romam; ita nullo vetante divino iure, quilibet suorum suc-

× 489. C. I. C., c. 13, X, Qui filii sint legitimi, IV, 17: ed. Friedberg, 2, 716.

○ 490. AMBROSIIUS, *Sermo contra Auxensium*, 13: PL 16, 1011 A.

○ 491. PSEUDOAMBROSIIUS, *De excidio urbis Hierosolymitanae libri quinque*, l. 3, c. 2: PL 15, 2171 B.

492. SOTO, DOMINGO, O. P., *Commentariorum... in Quartum Sententiarum tomus secundus*, d. 24, q. 2, a. 5: Salamanca 1560, pp. 41 b-42 a.

cessorum potest mutare cathedram Summi Pontificatus a Roma in alium locum.

Inclinandum nihilominus sentio in opinionem Caietani, in quam etiam inclinare videtur Turrecremata, 2 libro Summae, cap. 36<sup>493</sup> et inclinare videntur caeteri qui de hac re loquuntur. Moveor autem primo, quia historia illa licet non sit Scriptura Sacra est illorum gravissimorum Patrum, quos citavimus, illaque [f. 295r] tamquam certa Innocentius III. Neque facto illo tam voluisse videtur Christus ut Petrus Romae vitam finiret quam ut ille vitam finiendo cathedram Summi Pontificatus Romae (quae caput erat orbis) figeret et collocaret. Unde Marcellus papa, cap. Rogamus 24, q. 1<sup>494</sup>, affirmat iubente Domino ab Antiochia Romanam translata esse cathedram Petri; et Anacletus, capite Sacrosancta, 22 d.<sup>495</sup>, inquit: Sacrosancta Romana Ecclesia a Domino Salvatore nostro primatum obtinuit sicut dixit: *tu es Petrus etc.*; ubi innuit quod per hoc quod Petrus episcopus urbis Romae mortuus fuerit, ibi ex institutione divina alligatum reliquerit Summum Pontificatum; alias non Romana Ecclesia obtinisset a Christo primatum, quin potius mortuo Petro non magis ad Ecclesiam Romanam quam ad aliquam aliam pertineret Summus Pontificatus, neque ad Ecclesiam Romanam pertinere eligere successorem in Summo Pontificatu, sed solum in episcopatu urbis Romae, et ad Ecclesiam universalem pertineret electio Summi Pontificis; non est vero memoriae traditum ad electionem successoris Petri convenisse Ecclesiam universalem, sed solum Romanam.

2.<sup>o</sup> moveor, quia canones et concilia Romano Pontifici episcopo urbis Romae tribuunt primatum Ecclesiae; quod non esset nisi Summus Pontificatus post Petrum alligatus maneret episcopatu urbis Romae.

3.<sup>o</sup>, quia nisi ordinatione divina atque indissolubiliter Summus Pontificatus maneret alligatus alicui particulari Sedi, certe occasio esset divisionis et schismatis in Ecclesia, dum quis princeps ad suum regimen cum scandalo et perturbatione aliorum advocare niteretur Summum Pontificem ut ibi collocaret cathedram

493. TORQUEMADA, JUAN DE, *Summa de Ecclesia*, l. 2, c. 36: ed. c., ff. 149v-151r.

× 494. C. I. C., c. 15, C. XXIV, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 970.

× 495. C. I. C., c. 2, D. XXII: ed. Friedberg, 1, 73s.

Petri. Cum ergo apostolica sedes tot obortis tempestatibus et perse[f. 295v]cutionibus numquam dissoluta fuerit a Romana Sede et episcopatu, neque aliquis Summorum Pontificum id unquam attentaverit in mille quingentis annis etiam quando imperatores in Graecia potentissimi erant atque ad eorum nutum fiebant fere omnia, signum certe est post mortem Petri alligatum mansisse Summum Pontificatum romano episcopatu, quasi Christus instituerit ut ubi Petrus sedem collocaret et vitam finiret, sedes illa primatum teneret.

4.<sup>o</sup> moveor, quia non videtur tam certo posse constare dissolvi posse a Sede Romana ut nullum ea in re maneat dubium; in dubio autem tutior pars est eligenda qualis est "non posse dissolvi"; in eo enim quod non dissolvatur nihil est periculi, in eo vero quod dissolvatur imminet in re gravissima periculum transgressionis ordinationis divinae atque divisionis schismatis in Ecclesia.

Adverte tamen quod quando dicimus Summum Pontificatum alligatum esse episcopatu et cathedrae urbis Romae, non intelligimus quasi Summus Pontifex ex rationabili causa non posset relinquere urbem, et in alio loco aut regione habitare et inde regere Ecclesiam. Si enim ab infidelibus (quod Deus avertat) Roma aut Italia caperetur atque ibi penitus deleteretur christianum nomen, ut in Africa est deletum, posset Summus Pontifex alio commigrare et inde regere Ecclesiam. Sed quod dicimus est quod ubicumque esset, ibi esset episcopus titularis urbis Romae, et ubicumque eligeretur, eligendus esset in Summum Pontificem et episcopum urbis Romae; et cum primum illi opportunum esset Romam commigrare, teneretur in eum locum, ut in suam propriam sedem et episcopatum commigrare, providentia autem divina quae 1.500 annis non est passa ut non esset locus Romano Pontifici in Ro[f. 296r]mana urbe, tot existentibus accerbissimis et potentissimis persecutionibus (cum tamen videamus loca facta in manibus hostium fidei) testatur eum esse locum quem elegit in Sedem et caput Ecclesiae, adversus quam promisit portas inferi non esse praevalituras episcopatuque illius loci alligasse Summum Pontificatum.

Ad motiva Soti, patet quid dicendum sit; ostensum est enim historiam illam non esse apocrypham, Christumque facto illo non solum intendisse ut Petrus ibi moreretur, sed etiam ut ibi cathe-

dram et Summum Pontificatum figeret quando quidem ita acceptum semper fuit in Ecclesia ut sonant canones et concilia et quandoquidem expediebat ut sedes apostolica alicubi fixa merneret propter rationes factas. Quare cum motiva adducta non solum probabilem reddant hanc partem, sed etiam probabiliorem opposita, fit ut in ea ut in tutiorem inclinandum sit. Ad 2 dicendum est, quod licet quando Petrus constitutus fuit Summus Pontifex a Christo, nulli particulari sedi fuerit addictus, illi tamen tradidit Summum Pontificatum ut ibi maneret alligatus ubi cathedram figeret, ut ex traditione servata in Ecclesia, et motivis adductis satis colligitur. Neque est eadem ratio de Petro et de reliquis successoribus quoniam in Petro tradita est cathedra caeteris, non vero in aliquo successore.

### De primis successoribus Petri et de electione Summorum Pontificum.

#### Disputatio 7.

Quod attinet ad primum eorum quae proposita sunt, gravissimi autores in enumeratione successorum Petri usque ad Evaristum ita varii sunt, ut nihil certum [f. 296v] hac in parte constitui posse videatur. Irenaeus, lib. *Adversus haereses*, cap. 3<sup>496</sup>, quem sequuti sunt Eusebius, 3 libro *Historiae Ecclesiasticae*, cap. 13, 14, 22 et 34<sup>497</sup>; et Hieronymus, *De scriptoribus ecclesiasticis in vita Clementis*<sup>498</sup> aiunt Petro successisse Linum, Lino Anacleto, Anacleto Clementem et Clementi Evaristum. Damasus in *Pontificali Romano*, 1.º tomo conciliorum<sup>499</sup>, ut eum etiam explicat Platina in *Vitis pontificum*, cum de Clemente loquitur<sup>500</sup>, dicit Petro successisse Linum, Lino Cletum, Cleto Clementem, Clementi Anacleto, et Anacleto Evaristum.

○ 496. IRENAEUS, *Adversus haereses*, l. 3, c. 3, n. 3: PG 7, 849-851.

○ 497. EUSEBIUS, *Ecclesiastica Historia*, l. 3, c. 13 [en la traducción de Rufino]: GCS 9/1, 229, 12-13; c. 15: ib., 229, 19-20; c. 21: ib. 237, 9-10; c. 34: ib., 275, 1-2.

○ 498. HIERONYMUS, *De viris illustribus*, c. 15: PL 23, 663.

○ 499. *Conciliorum omnium... tomus primus*, p. 31 a. Se remite a la epist. ad Iacobum fratrem Domini, pero dice que sucedió a Pedro.

○ 500. PLATINA, R. BARTHOLOMAEUS [Sacchi], *De vita et moribus summorum Pontificum historia*: París 1530, f. 14r (Lino: f. 11r-12r; Cleto: f. 12v-13v).

Augustinus in epistola 160<sup>501</sup> dicit Petro successisse Linum, Lino Clementem, Clementi Anacletum, et Anacleto Evaristum. Et Hieronymus, loco citato<sup>502</sup>, dicit communiorem sententiam Latinorum esse Anacletum successisse Clementi. Rufinus vero in Prooemium ante libros recognitionum<sup>503</sup>, Mamianus, scholiis in chronicis<sup>504</sup> (cuius sententia refertur in 1.º tomo conciliorum in vita Clementis et Anacleti) quos sequitur Ioverius<sup>505</sup> et Carranza<sup>506</sup> in suis Summis conciliorum, affirmant Clementem immediate successisse Petro, Clementi successisse Anacletum, et Anacleto Evaristum<sup>x</sup>; Linum vero et Cletum non fuisse Summos Pontifices, sed creatos esse a Petro episcopos ut Romae essent coadiutores ipsius tum propter varia negotia quae ad Petrum confluebant, tum etiam ut Petrus orationi et ministerio verbi magis vacare posset<sup>y</sup> atque ita perseverasse cum Clemente tamquam adiutores ipsius. Ex his omnibus sententiis, haec ultima magis placet; 1.º, quia est expressa sententia Ioannis III in epistola decretali, et refertur capite Si Petrus, q. 1<sup>507</sup>; et Leonis II, in epistola decretali<sup>508</sup>, cuius verba invenies citata 1.º tomo conciliorum, in vita Clementis.

2.º, quia ex prima epistola Clementis ad Iacobum fratrem Domini<sup>509</sup> aperte constat Clementem immediate successisse Petro, ipsumque Clementem nullo interposito Summo Pontifice exercuisse munus Summi Pontificis; [f. 297r] idque refertur capite Unde, 8, q. 1<sup>510</sup>; epistolam autem illam authenticam esse ex eo suaderi potest quod ex illa plures alii canones desumpti sunt,

x. MS: Anacletum Evaristo.

y. MS: possent.

○ 501. AUGUSTINUS. *Epistola* 53, 2: CSEL 34 2, 153. En esta edición, Corpus Vindobonense, dice: «...Lino Clemens, Clementi Anacletus...».

○ 502. Véase la nota 498.

○ 503. RUFINUS AQUILEIENSIS. *In S. Clementis Recognitionum libros. Praefatio*: PG 1, 1207-8.

504. MARIANUS SCOTUS. *Scholia in chronicis*: apud *Conciliorum omnium... tomus primus*. Colonia 1551, p. 31 b; p. 54 a.

505. IOVER. FRANCISCO. *Sanctiones ecclesiasticae tam Synodicas quam Pontificias in tres classes distinguens... Tertia classis... continens Decreta Pontificum*: t. 3, Paris 1555, f. 87v-b.

506. CARRANZA, BARTOLOMÉ. *Summa Conciliorum*: Salamanca 1549, p. 14s.

× 507. C. I. C., c. 1, C. VIII, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 590.

508. LEO II. *Epistola Decretalis*, apud *Conciliorum Omnium... tomus primus*. Colonia 1551, p. 31 b.

○ 509. PSEUDOCLEMENS. *Epistola ad Iacobum, fratrem Domini*: PG 1, 463 s.

× 510. C. I. C., c. 2, C. VIII, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 590.

tum vel maxime quod illam citat Anacletus<sup>511</sup>, de cuius epistolis numquam aliquis dubitavit, et illam etiam citant alii Summi Pontifices; cum autem Anacletus illis eisdem temporibus fuerit, patet plus illi standum esse hac in parte quam Eusebio et Hieronymo, De scriptoribus ecclesiasticis in vitis Petri et Iacobi<sup>512</sup>, cui Eusebium sequutus affirmat Iacobum fratrem Domini prius Petro mortuum fuisse septem annis; cuius contrarium supponit illa epistola. Unde quidam sibi persuaserunt epistolas Clementis ad Iacobum non esse Clementis.

Moveor 3.<sup>o</sup>, quod attinet ad Anacletum tum quia Anacletus ipse in suis epistolis decretalibus appellat Clementem praecessorem suum; quare non illum antecessit, sed sequutus est, ut Augustinus etiam cum communiore sententia<sup>513</sup>, quam Hieronymus fatetur esse communem Latinorum affirmat<sup>514</sup>.

Moveor 4.<sup>o</sup>, quia cum Linus et Cletus Pontifices Romae fuerint cum Petro ante Clementem, facile fuit post aliqua tempora enumerare illos cum Summis Pontificibus Romanis ante Clementem; et cum Cletus et Anacletus tantam affinitatem in nomine habeant facile fuit loco Cleti computare Anacletum ante Clementem.

Quidam de quorum numero est glossa, cap. Si Petrus 8<sup>515</sup>, q. 1, voluerunt Linum et Cletum<sup>2</sup> revera fuisse Summos Pontifices ante Clementem; Clementem, inquam, postquam electus fuit a Petro modestiae gratia atque in [f. 297v] exemplum Summi Pontificis ab Ecclesiae eligeretur renuntiasse Summum Pontificatum et electos fuisse ante ipsum Linum, et Lino mortuo Cletum; sic vero computari debent inter apocryphas epistolae Clementis. Verum quod prius diximus magis placet.

Quod attinet ad secundum eorum quae proposita sunt, subiungam aliquot propositiones cum Victoria, Relectione 2 De potestate Ecclesiae, q. 2, n. 18<sup>516</sup>. Prima sit: supposita institutione

z. MS: Clementem.

◊ 511. ANACLETUS, *Epistola 3*: Mansi, 1, 619 C-D.

512. Véanse las notas 497 y 498.

◊ 513. Véase la nota 501.

◊ 514. Véase la nota 498.

× 515. Puede verse, por ejemplo, en: *Decretum Gratiani emendatum et notationibus illustratum una cum glossis, Gregorii XIII pont. max. iussu editum*, Roma 1582, 1120s.

516. VITORIA, FRANCISCO, *Relectio De potestate Ecclesiae*, q. 2, n. 18: ed. c., p. 92.



Christi, quae instituit et tradidit Summum Pontificatum Petro in Ecclesia in perpetuum duraturum in se et successoribus suis, mortuo Petro Ecclesia habuit potestatem eligendi et substituendi alium loco illius si Petrus nihil ea de re prius instituisset. Probatum 1.<sup>o</sup>, quia supposita institutione huius dignitatis in Ecclesia qua in perpetuum gubernetur, Ecclesia non est peioris conditionis ad eligendum caput et principem, quo gubernetur extincto eo quo gubernabatur, quam sit quaecumque alia respublica; immo hoc ipso quod Christus talem dignitatem instituit tribuit illi ius; ergo mortuo Petro et nihil circa successorem disponente, Ecclesia potuit eligere et substituere alium loco illius. 2.<sup>o</sup>, quia si modo pestis aut bellum vel aliud infortunium perimeret simul omnes cardinales, et clerum aut populum romanum cum Summo Pontifice, non est dubium quod Ecclesia posset eligere alium loco defuncti, alias vacaret in perpetuum sedes apostolica et cessaret pro Ecclesia regimen quod Christus instituit in perpetuum; ergo mortuo Petro et nihil, circa successorem statuente, Ecclesia universalis ius habet eligendi alium loco illius. Et confirmatur, quia Summus Pontifex est pastor universalis et pertinet ad totam Ecclesiam; ergo nihil statuente Petro aut pastore alio universali qui [f. 298r] ius habeat in totam Ecclesiam, electio Summi Pontificis pertinet ad Ecclesiam universalem.

2.<sup>a</sup> propositio. Cessante iure positivo Summorum Pontificum aut Ecclesiae universalis circa electionem Summi Pontificis, ad episcopos pertinet electio Summi Pontificis, et non ad laicos vel ad alios sacerdotes. Quare laicis et aliis sacerdotibus invitis, episcopi eligere possunt Summum Pontificem. Probatum, quia Summi Pontifices pastores sunt et curatores totius Ecclesiae totaque administratio ecclesiastica ad ipsos spectat infra Summum Pontificem, ipsique per se ipsos possint quidquid inferiores possunt. Quibus de causis congregati sede vacante repraesentant totam Ecclesiam viduam sine pastore et capite; ergo ad eos, illa suppositione data, spectat electio Summi Pontificis. Et probatur confirmatione, quia tempore schismatis ad eos ita congregatos spectat deponere aut diiudicare quis sit verus Summus Pontifex, ad eos etiam ita congregatos spectat deponere aut iudicare depositum Summum Pontificem haereticum; ergo ad eosdem, illa suppositione data, spectabit electio Summi Pontificis. Vide alias rationes apud Victoriam loco citato <sup>516</sup>.

3.<sup>a</sup> propositio. Ad Ecclesiam universalem, hoc est ad concilium universale legitime congregatum cum suo capite, tum etiam ad Pontifices Romanos spectat statuere leges circa modum electionis Summi Pontificis; unde modus electionis et varietas electorum ex dispositione Ecclesiae et Summorum Pontificum pendet, modusque est de iure positivo et humano et variari potest. Haec probatur, quia cum de iure divino nullae hac in parte sint praescriptae leges, illis reliquit Christus hac in parte praescribere leges quibus curam et administrationem totius Ecclesiae universalis commisit, videlicet [f. 298v] ipsimet Ecclesiae universali cum suo capite in concilio legitime congregato et Summis Pontificibus; ut enim facultatem habuit a Christo condendi omnes alias leges quas ad regimen Ecclesiae pro ratione iudicaverint expedire, ita habent condendi has quae ad regimen Ecclesiae maxime referunt. Probatur 2.<sup>o</sup>, ex usu ipsius Ecclesiae; per Pontifices enim et concilia universalis variae leges hac in parte latae sunt, ut patet p. 3, cap. Licet, extra, de electione<sup>517</sup> et cap. Ubi periculum, de electione, lib. 6<sup>518</sup>, cap. Ego Lodoicus<sup>519</sup>; cap. Adrianus<sup>520</sup>, cap. Cum Adrianus 63 d.<sup>521</sup>, cap. In nomine 23 d.<sup>522</sup>, et pluribus aliis.

4.<sup>a</sup> propositio. Expediens fuit non relinquere toti Ecclesiae et universis episcopis electionem Summi Pontificis, sed condere leges tum circa modum eligendi tum etiam circa electores. Probatur, quia difficillimum esset et cum maximo dispendio ecclesiarum particularium convenire in unum locum omnes episcopos in morte cuiusque Summi Pontificis. Praeterea, opus esset longo tempore Ecclesiam esse sine capite antequam episcopi omnes convocarentur, convenirent et eligerent Summum Pontificem. Item difficile esset tot homines convenire in electionem unius, et esset periculum schismatis, unde a principio Ecclesiae praescriptae semper fuerunt leges hac in parte; et Petrus ipse statuisse videtur ut quemadmodum ad caeteras ecclesias tunc pertinebat electio proprii episcopi, ita ad Ecclesiam Romanam pertineret electio eius qui pariter episcopus esset urbis Romae et Summus

× 517. *C. I. C.*, c. 14, in Sexto, de electione, I, 6: ed. Friedberg, 2, 954s.

× 518. *C. I. C.*, c. 3, in Sexto, de electione, I, 6: ed. Friedberg, 2, 946-949.

× 519. *C. I. C.*, c. 30, D. LXIII: ed. Friedberg, 1, 244s.

× 520. *C. I. C.*, c. 2, D. LXIII: ed. Friedberg, 1, 235.

× 521. *C. I. C.*, c. 29, D. LXIII: *ib.*, 244.

× 522. *C. I. C.*, c. 1, D. XXIII: *ib.*, 77ss.

Pontifex, quandoquidem Summus Pontificatus cum Ecclesia Romana divina ordinatione coniunctus erat.

5.<sup>a</sup> propositio. Convenientissimus videtur modus eligendi Summum Pontificem per Cardinales ut a multis centenis annorum fuit in Ecclesia modo ex variis provinciis quoad fieri possit eligantur, ut assistentes Summo Pontifici representent etiam necessitates et negotia omnium ecclesiarum, et modo eligantur qui sanctitate vitae, prudentia, litteris, et zelo animarum sint insignes. Ita enim fiet ut quasi universa Ecclesia Summum Pontificem eligere videatur [f. 299r] et talis perpetuo eligatur talesque secum habeat consiliarios et adiutores ut Ecclesia eum habeat splendorem quem pii et iusti desiderant. De antiquitate Cardinalium et usus hoc modo eligendi Summos Pontifices in Ecclesia, lege inter alios Sotum in 4, d. 24, q. 2, art. 4<sup>523</sup>. Circa varietatem electorum quibus in Ecclesia diversis temporibus commissum est eligere Summum Pontificem tum etiam circa modum servandum in electione vide iura citata<sup>524</sup> et Sylvestrum verbo Electio 3 et verbo Excommunicatio, 9, excommunicatione 2.<sup>a</sup> 525.

Dubium est an Summus Pontifex eligere sibi possit successorem qui ipso mortuo continuo sit Summus Pontifex, (nam constat duos Summos Pontifices simul esse non posse). Victoria, loco citato, n. 23<sup>526</sup> affirmat; immo ait, Summos Pontifices posse condere legem ut unusquisque sibi eligat successorem. Quod probat, quia Petrus elegit sibi successorem, ut patet ex epistola prima Clementis<sup>527</sup> et ex Ioanne III, cap. Si Petrus, 8, q. 1<sup>528</sup>. Posset etiam id confirmari ex Symmaco, in Synodo Romana 2, cap. 2 et refertur cap. Si transitus, 79 d.<sup>529</sup>, ubi Symmacus aperte innuit Papam disponere posse de sui successoris electione ante suam mortem. Contraria tamen sententia est communis quam affir-

523. SOTO, DOMINGO. *Commentariorum... in Quartum Sententiarum tomus secundus*, d. 24, q. 2, a. 4: ed. c., 37 a-b.

524. Véanse las notas 517-522.

525. SYLVESTER PIREIRAS, O. P., *Summa Summarum*, v. *Electio*, 3: Lyon 1553, p. 315; v. *Excommunicatio*, 9, excommunicatione 2: ib., 402 a.

526. VITORIA, FRANCISCO, *Relectio De potestate Ecclesiae*, q. 2, n. 23: ed. c., p. 94.

○ 527. PSEUDOCLEMENS, *Epistola I ad Iacobum, fratrem Domini*: PG 1, 463s.

× 528. C. I. C., c. 1, C. VIII, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 590.

× 529. C. I. C., c. 10, D. LXXIX: ed. Friedberg, 1, 279.

mant Caietanus, tomo 1.<sup>o</sup> opusculorum, tract. 2, cap. 22<sup>530</sup>; Turrecremata, 2 p. Summae, cap. 51<sup>531</sup>; Thomas Elysius, in Clypeo, q. 47 art. 1<sup>532</sup>; Panormitanus<sup>533</sup> et plerique alii theologi et iurisperiti. Unde volunt quod licet in Summis Pontificibus sit potestas ad condendum leges et praescribendum modum aliis circa electionem successorum, non tamen est potestas ut ipsi per se ipsos immediate eligant Summum Pontificem. Atque huic sententiae ut communiori et securiori inclinandum est. Cum enim post Petrum numquam auditum sit aliquem Summum Pontificem nominasse aut elegisse sibi successorem, et potestas ad taliter eligendum perniciose sit in re gravissima (facile enim quis propter affectum inordinatum [f. 299v] ad consanguineos eligere posset indignum in magnum detrimentum Ecclesiae) verisimile non est talem potestatem reliquisse Christum Summis Pontificibus. Alias rationes vide apud autores citatos. Ad Victoriam ergo dicendum est, legem illam futuram iniquam si feratur, utpote in perniciem et contra bonum Ecclesiae, unde non habebit vim obligandi. Ad probationem vero dicendum est illud factum fuisse a Petro quando Summus Pontificatus coniunctus erat cum paupertate et summo labore, nondum Ecclesia perfecte fundata, et quando parum distabat eligere aliquem in Summum Pontificem et in martyrem. Praeterea id factum fuisse a Petro pleno Spiritu Sancto qui errare non poterat et qui plura habebat privilegia quam habent successores. Item factum fuisse conveniente et consentiente Ecclesia quo pacto intelligendus est Symmacus quando innuit Summum Pontificem disponere posse de successore in vita sua, Ecclesia scilicet et electoribus convenientibus in tali dispositione. Quare ex facto Petri non colligitur Summum Pontificem eligere sibi posse successorem.

530. CAIETANUS, *De comparata auctoritate Papae et Concilii, Apologiae Pars secunda*, c. 22: ed. c., p. 64 b.

531. TORQUEMADA, JUAN DE, O. P., *Summa de Ecclesia*, l. 2, c. 51: ed. c. (nota 282), ff. 164v-166r: «De rationibus propter quas successores Petri Romani Pontificis magis per electionem quam per carnis successionem aut institutionem praedecessoris ad pontificatum assumuntur».

532. THOMAS ELYSIUS, O. P., *Piorum clypeus*, q. 47, a. 1. No hemos podido encontrar esta obra para verificar la cita.

533. PANORMITANUS, TEDESCHIS, NICOLAUS, *In tertium Decretalium librum interpretationes*, cap. Apostolicae, n. 9, De donationibus: Lyon 1547, f. 135v: «Et ex prima ratione dicit gl. n. 8, q. 1 in c. ex his quod papa non potest sibi in vita eligere successorem».

**Utrum Ecclesia universalis possit errare in fide et de notis  
quibus vera Ecclesia dignoscenda est.**

**Disputatio 8.**

Constitutata Ecclesia et capite ipsius Summo Pontifice Vicario Christi, videndum est utrum Ecclesia errare possit in fide. Et respondetur negative, estque conclusio certissima in fide. Probatum ex illo Matthaei 16<sup>534</sup>: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam.* Si autem Ecclesia errare posset in fide portae inferi praevalere possent adversus illam non obstante promissione Christi Lucae 22<sup>535</sup>: [f. 300r] *Ego rogabo pro te ut non deficiat fides tua, hoc est quam tu et successores tui docueritis Ecclesiam super te fundandam et quam Ecclesia, cuius tu eris pastor fuerit sequuta; exauditus autem fuit pro sua reverentia*<sup>536</sup>. Matthaei 18<sup>537</sup>: *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* a fortiori ergo in medio totius Ecclesiae sponsae ipsius in ipso congregatae erit Christus eam illuminans et ei assistens ne erret in fide et in statuendis et diffiniendis his quae ad mores pertinent. Matthaei 28<sup>538</sup>: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* cum autem apostoli duraturi non essent usque ad consummationem saeculi, utique promissa haec Ecclesiae in principibus et ducibus ipsius facta est quae usque ad consummationem saeculi est duratura vel vere facta est ipsimet Ecclesiae christianae in se ipsa aut tunc illis paucis cum quibus Christus loquebatur, continebatur et erat congregata. Christus ergo suae Ecclesiae assistit ne in fide erret et cum ipsa est usque ad consummationem saeculi non solum per interrupta tempora, sed omnibus diebus ut habet testimonium citatum Ioannis infra<sup>539</sup>: *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum.* Spiritus ergo Sanctus in Apostolis datus est Ecclesiae ut perpetuo ei assistat, eam doceat, eique suggerat omnia ne in fide et moribus erret, et ut in ipsa sit. Sine vera namque fide neque Christus (qui per

+ 534. Mt 16, 18.

+ 535. Lc 22, 32.

+ 536. Heb 5, 7.

+ 537. Mt 18, 20.

+ 538. Mt 28, 20.

+ 539. Jn 14, 16.

fidem habitat in cordibus nostris) neque Spiritus Sanctus est in nobis, imo vero nec in nobis salvatur ratio Ecclesiae. Confirmatur hoc ex illo Ioannis 17<sup>540</sup>: *Non pro eis tantum rogo, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* 1 Tim 3<sup>541</sup>: *ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum [f. 300v] veritatis.* In fide ergo et in his quae ad mores spectant statuendis errare non potest Ecclesia, alias non esset columna et firmamentum veritatis. Oseae 2<sup>542</sup>: de Ecclesia: *sponsabo te mihi in sempiternum, [...] et sponsabo te mihi in fide vera;* ergo fides Ecclesiae numquam deficiet. Unde Ecclesia ipsa ad sponsum, Cant 3<sup>543</sup>: *inveni eum [...] nec dimittam;* et certe cum Ecclesia corpus sit Christi, et Christus ipsius caput et sponsus, pro qua vitam dedit, mirum est quod quis sibi possit persuadere Christum ita eam aliquando deserturum ut in fide erret.

His accedit quod si Ecclesia errare potest in fide, corrui certitudo et infallibilitas Scripturarum Sanctarum et omnium quae sunt de fide. Quod enim libri quos hodie habemus tamquam canonicos revera canonici sint et assistentia Spiritus Sancti conscripti, et quod incorrupti usque ad hanc diem perseverent non aliunde constat quam ex eo quod ut tales semper eos habuit Ecclesia, et quod tales eos esse diffinivit; unde Augustinus contra epistolam fundamenti<sup>544</sup>: "Evangelio non crederem nisi me [catholicae] Ecclesiae commoveret autoritas". Quod item, quaedam, quae traditionibus continentur, de fide sint, non aliunde habemus quam ex eo quod ut talia habita sunt in Ecclesia et ut talia fidelibus ab Ecclesia proponuntur aut aliquando diffinita sunt. Quare hoc ipso quod admittatur Ecclesiam in discernendis et amplectendis rebus fidei posse errare, certe corrui autoritas eorum quae sunt fidei. Accedit deinde quod Apostoli in Symbolo omnibus fidelibus credendum proposuerunt, videlicet: *credo sanctam Ecclesiam Catholicam;* intelligentes enim Ecclesiam in fide errare non posse columnamque et firmamentum esse veritatis, neque omnia quae de fide sunt in lit[f. 301r]teris sanctis contineri expresse, sed quaedam traditione reliquit in Ecclesia; auto-

† 540. Jn 17, 20.

† 541. 1 Tim 3, 15.

† 542. Os 2, 19.

† 543. Cant 3, 4.

† 544. AUGUSTINUS, *Contra epistolam quam vocant fundamenti*, 5: CSEL 25, 197, 22-24.

ritatem praeterea Scripturarum Sanctarum ab autoritate Ecclesiae pendere, Ecclesiaeque esse iudicare tum de Scripturis canonicae sint necne atque incorruptae perseverent, tum etiam de legitimo earum sensu, proposita summa fidei in Symbolo, in reliquis non ad Scripturas nos remiserunt dicentes: credo Scripturas Sanctas, sed ad Ecclesiam dicentes, credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Confirmat praeterea quod dicimus Christum Matthaei 18<sup>545</sup> dixisse eum qui Ecclesiam non audiret habendum esse tamquam ethnicum. Quod si in Ecclesia non esset infallibilis autoritas, certe numquam tale protulisset. Alia quibus proposita conclusio confirmari potest vide apud Canum, 4 de locis, cap. 4<sup>546</sup>, apud Osium, 2 lib. adversus Brentium<sup>547</sup>, a folio 174 et apud alios.

Neque promissiones hactenus recitatae conditionatae sunt: si ministri Ecclesiae boni fuerint; ut luce clarius constat ex testimoniis ipsis citatis et ostendit optime Osius, loco citato<sup>547</sup> sed absolute et quae infallibiliter implebuntur. Haec enim Ecclesiae sponsae Christi in bonum ipsius promissa sunt ut directrix certa esset eorum qui intra gremium ipsius salvandi sunt et non singularibus personis. Confirmari praeterea potest quod dicimus ex illo Matthaei 24<sup>548</sup>: *Nisi breviati fuissent dies illi non fieret salva omnis caro sed propter electos breviabuntur.* Ex quo loco patet de facto usque ad consummationem saeculi duraturos electos et subinde veram fidem, tum etiam ex eo quod de pessimis sedentibus super cathedram Moysis dixit Christus<sup>549</sup>: *quodcumque dixerint vobis servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere;* quanto autem magis id diceret de sedentibus super cathedram Petri [f. 301v] pro quo oravit ut non deficeret fides illius? Ut enim vis sacramentorum et potestas clavium quae in bonum Ecclesiae data sunt ex qualitate vitae ministrorum non pendet, ita neque synceritas fidei Ecclesiae ex qualitate vitae ministrorum Ecclesiae pendet. Dominus enim per asinam Balaam loquutus est<sup>550</sup>, et loquutus est per linguam Caiphae. quia pontifex erat anni illius et sedebat super cathedram Moysis sumpsit ad prophetandum

†545. Mt 18, 17.

546. CANO, *De locis*, l. 4, c. 4: ed. Serry c., 1, 258-271.

547. HOSIUS, ESTANISLAO. *Confutatio prolegomenon Brentii*, l. 2: e. c., f. 224r-v.

†548. Mt 24, 22.

†549. Mt 23, 3.

550. Cfr. Nm 22, 28. NJ

quando protulit pessimum illud consilium, ut testatur Ioannes<sup>551</sup>. Quanto ergo magis credendum est eum assistere Ecclesiae a Christo fundatae, et sedentibus in cathedra Petri, esto aliqui inculpatae vitae non sint, quandoquidem multo expressiores hac in parte maioresque factae sint promissiones cathedrae Petri quam Moysis et Ecclesiae Christi quam Synagogae?

Quanta autem assistentia Dei sit in cathedra Petri testatur inter alia id quod Vigilio Papae historiae accidisse narrant, sic instigante Augusta Sylverium Papam, cuius erat diaconus, de sede sua deturbandum atque in exilium mittendum curavit, quod Antonium haereticum per Agapetum antecessorem suum de sede constantinopolitana deiectum iussu et precibus Augustae omnino vellet restituere, postea vero opera Augustae in Summum Pontificem electus est Vigilius ea lege ut Antonium in suam sedem restitueret. Cum primum autem cathedram Petri ascendit ita in virum alterum mutatus est ut ab eadem Augusta propterea multos cruciatus famemque atque diuturnos carceres pertulerit, quod promissioni stare noluerit, et quod noluerit Antonium suae sedi restituere dicens se longe aliter ea de re sentire potquam cathedram Petri conscenderit, confiterique se dignum illis et multo maioribus tormentis, quod Sylverium tam inique sua sede deturbaverit et quod tam inique eam ascenderit. Testatur praeterea assistentiam divinam super cathedram Petri numquam a 1.500 annis Ecclesiam Romanam a fide defecisse, ut disputatione 4 [f. 302r] tactum est deficientibus Ecclesiis ab aliis apostolis fundatis. Haec de primo eorum quae proposuimus.

Quod attinet ad 2, ad notas, scilicet quibus vera Ecclesia dignoscenda est, praetermissis aliis prima sit quam nobis Apostoli in Symbolo tradiderunt, dicentes: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, ad cuius maiorem explicationem in symbolo niceno dictum est: *credo in unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam*. Ecclesia enim una solum est non tantum christianam quam Christus fundavit iuxta illud: *fiet unum ovile et unus pastor*<sup>552</sup>, sed etiam Ecclesia universalis quae est a principio mundi usque ad consummationem saeculi. Cum ovilibus namque legis naturae et scriptae continuatur ovile legis evangelicae atque Ecclesia chris-

† 551. Jn 11, 50s.

† 552. Jn 10, 16.



tiana in unam ecclesiam totalem et universalem a principio mundi usque ad consummationem saeculi, cuius caput est Christus, ut disputatione 1.<sup>a</sup> ostensum est. Et de hac, Cant 6<sup>553</sup>: *una est columba mea perfecta mea etc.* Apostoli tamen in Symbolo de sola Ecclesia christiana loquuntur, cuius fidei professione nos docent; hanc autem unam esse docent, alias non dicerent: credo sanctam Ecclesiam, neque adderent catholicam, id est universalem, si enim aliqua alia esset ea de qua loquuntur non esset universalis. Additum est ad maiorem explicationem in symbolo niceno *apostolicam*, quia hanc apostoli fundarunt, traditionesque et doctrinam apostolorum retinet, atque hinc et dignoscenda est. Et forte eam etiam appellant *apostolicam*, quia sedem apostolicam et cathedram Petri super quem Christus aedificavit Ecclesiam suam continet, et continere debet ut sit vera Ecclesia. Verum haec erit secunda nota quam subiiciemus. Prima ergo nota unde vera Ecclesia dignoscenda est si est una ab adventu Christi et tempore apostolorum usque ad consummationem [f. 302v] saeculi et subinde a principio etiam mundi. Et si est catholica, hoc est universalis, quoad tempora non interrupta iuxta illud<sup>554</sup>: *portae inferi non praevalent adversus eam*, et illud<sup>555</sup>: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, et quoad nationes<sup>556</sup>: Evangelium enim per universum mundum divulgabitur et tunc erit consummatio, ut Christus ait. Ut autem per universum mundum divulgabitur, ita probabile est quod ex omnibus nationibus in toto decursu Ecclesiae ingredientur aliqui in Ecclesiam. Et denique si continet omnes in universum fideles ab adventu Christi et sufficienti promulgatione Evangelii usque ad consummationem saeculi sub eodem capite et eadem fide, hic compellere possumus omnes haereticos ut nobiscum contendant et ostendant nobis ubi aut quando ab Ecclesia Catholica et universali discessimus, ut nos illis ostendamus initium sectae cuiusque eorum et separationem ipsorum ab Ecclesia et a nobis; tum etiam ut ostendant nobis continuationem sectae ipsorum et successionem episcoporum, doctorum aut Ecclesiarum, ut nos illis ostendamus continuationem sanctissimae fidei nostrae usque ad tempora Christi et apostolorum.

---

— 553. Cant 6, 8.

+ 554. Mt 16, 18.

+ 555. Mt 28, 20.

+ 556. Mt 24, 14.

Atque ut antiquiores haereticos omittam inveniet \* quidem Lutherus et qui ipsum (inter se et a Luthero divisi) sequuntur, non unum aliquem qui cum ipsis in omnibus suis erroribus conveniat (ut neque ipsi inter se conveniunt), sed Simonem Magum a Petro damnatum qui in aliquo conveniat, quintillianos qui in aliis, rogatianos qui in aliis, novacianos, petrobruxianos, pauperes de Lugduno atque alios huiusmodi plures ab Ecclesia variis temporibus damnatos, qui cum ipsis in aliis atque aliis erroribus [f. 303r] conveniant, ut longa et pulchra inductione docte ostendit Osius, De fide et symbolo, cap. 23<sup>557</sup>. At ne in uno quidem suorum errorum continuatione inveniant usque ad tempora Christi et apostolorum etiam inter haereticos ab Ecclesia damnatos, nedum in omni sua secta. Atque hoc plane est argumentum quo antiqui patres semper adversus haereticos insurgentes usi sunt. Cum enim Ecclesia una sit et catholica, hoc est universalis, doctrinamque et traditiones apostolorum a quibus fuit fundata continere debeat, continuationem sectae quae insurgebat per successionem episcoporum et ecclesiarum usque ad tempora Christi et apostolorum ab ipsis exigebant tum in ecclesiis ab aliis apostolis fundatis, tum vel maxime in Romana quam caput et magistram ecclesiarum agnoscebant, propterea quod in ea Petrus sederit, super quem Christus Ecclesiam fundavit. Quam continuationem cum non possint ostendere, ut patres sanctissimae fidei nostrae et religionis ostendebant, facileque patres illis ostenderent propriam sectae cuiusque illorum sufficienter convicisse putabant et haereticos esse et a vera fide et Ecclesia Catholica a Christo et apostolis fundata discesisse. Hoc argumento ante 1.200 annos usus est Vincentius Lirenensis, in aureo illo suo libello quem hac ipsa de re conscripsit<sup>558</sup>; et ante ipsum Irenaeus, 4 lib. adversus haereses, cap. 63 et 43<sup>559</sup>; Tertullianus, De praescriptionibus haereticorum<sup>560</sup>; et Cyprianus, 1.º

a. Lectura probable.

557. HOSIUS, ESTANISLAO, *Confessio catholicae fidei christiana*, c. 23: ed. c., ff. 14v-16r.

558. VICENTIVS LIRENENSIS, *Commonitorium*. Trata frecuentemente el autor del valor de la Tradición en la Iglesia; véase, por ejemplo: *Commonitorium primum*, 2: PL 50, 640-641; 5: ib., 645; 20: ib., 665; 22: ib., 669. *Commonitorium II*, 29: ib., 677; 32: ib., 683s.

559. IRENAEUS, *Contra haereses*, 1, 3, c. 4: ed. Harvey, Cambridge 1857, 2, 15-18; 1. 1, c. 10, 1-2: ib., 1, 90-94.

560. TERTULLIANUS, *De praescriptione haereticorum*, 20, 4-22: CChr 1, 201, 12-203, 21.

epistolarum libro epistola 6<sup>561</sup>; Augustinus<sup>562</sup>, contra epistolam fundamenti, cap. 4; in psalmum contra partem Donati, de utilitate credendi, cap. 27; vide etiam cap. 49 de quaestionibus Veteris et Novi Testamenti, q. 110, et epistola 165; Hieronymus ad Pammachium et Oceanum<sup>563</sup>; Optatus, Lib. 2 contra [f. 303v] donatistas<sup>564</sup>; et plerique alii. Et Augustinus, cap. illo 4 Contra epistolam fundamenti<sup>565</sup>, non solum successionem episcoporum in cathedra Petri dixit esse unum ex iustissimis motivis quae ipsum tenent in Ecclesia Catholica potius quam in ecclesiis haereticorum, sed etiam nomen ipsum Ecclesiae Catholicae. Si enim, inquit, peregrinus aliquis inquirat ubi Catholici conveniant, nullus haereticorum suam basilicam vel domum ostendere illi audebit, intelligens non eam inquirere, sed nostram Ecclesiam. Catholica ergo Ecclesia illa est quae universalis est et quae semper eadem fuit ab adventu Christi et principio mundi usque ad consummationem saeculi sine interruptione aliqua. Atque haec est nota qua vera Ecclesia dignoscenda est; quicumque autem novitatibus ab ea divisi sunt, non catholici, sed lutherani, arriani, donatistae et aliis similibus nominibus nuncupantur ab inventoribus sectarum qui se primo ab Ecclesia discesserunt.

Secunda nota sit quam Christus ipse Matthaei 16<sup>566</sup> tribuit Ecclesiae suae dicens: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam.* Ex doctrina enim Christi illa est vera catholica Ecclesia a se fundata adversus quam portae inferi non praevalent, quae in se habet cathedram Petri, eamque sequitur magistram in summis pontificibus successoribus Petri. Pro fide enim huius cathedrae et Ecclesiae testatur Christus se orasse Patrem ut non deficeret<sup>567</sup>. Sed quoniam de hac re multa diximus disputatione 4. atque hae duae notae sufficienter manifestant veram Ecclesiam eamque dis-

○ 561. CYPRIANUS, *Epistola 69. 1-10. ad Magnum*: CSEL 3 2. 749-758.

○ 562. AUGUSTINUS, *Contra epistolam quam vocant fundamenti*, n. 4: CSEL 25, 196s; *Contra partem Donati post gesta*, c. 28s: CSEL 53, 148-152; *Epistola 53*: CSEL 34 2, 152-158 (especialmente, n. 23: p. 154s); PSEUDOAGUSTINUS, *De quaestionibus Veteris et Novi Testamenti*, q. 110: PL 35, 2331.

○ 563. HIERONYMUS, *Epistola 84 ad Pammachium et Oceanum*: CSEL 55, 121-134 (especialmente, n. 1-4: pp. 121-126).

○ 564. OPTATUS MILEVITANUS, *Contra Parmenianum Donatistam*, 1. 2: CSEL 26, 32-66.

○ 565. Véase la nota 562.

† 566. Mt 16, 18.

† 567. Lc 22, 32.

tinguunt a congregationibus haeticorum omnium, non est quod aliquid hac in parte adiiciamus.

Unum solum advertam: quod licet catholica et vera Ecclesia universalis sit neque interrupta quoad tempora a principio mundi usque ad consummationem saeculi atque aliis modis [f. 304r] explicatis, nihilominus uno tempore est latior et alio strictior atque ad pauciores redacta; et in fine mundi videtur futura strictissima et ad pauciores redacta, quando discessio cessabit, hostia et sacrificium<sup>568</sup>, ut multi de eo tempore intelligunt, itaque quod communiter et invalescente persecutione et malitia hominum non celebrabuntur publice sacra inter fideles. De eodem etiam tempore dixit Christus<sup>569</sup>: putas cum venerit Filius hominis inveniet fidem in terra? Licet enim aliqui id interpretentur quod tunc homines modicae et tepidae fidei sint futuri, probabilius tamen est, intelligendum esse quod sub adventum Christi paucissimi fideles erunt, attamen in singulis cuiusdam fidei, qui aliis deficientibus ipsi non defuerint, sed adversus tot et tam graves persecutiones et vexationes deferendi fidem ipsi constantes permanserint. Quamvis autem Ecclesia ad paucissimos redigatur, semper tamen notae assignatae quibus dignoscatur salvae atque integrae manent. Semper enim facile erit intelligere eam esse quae cum Ecclesia universali a Christo et apostolis fundata contineatur, per successores episcoporum et ecclesiarum et quae aliis hominum congregationibus ab illa deficientibus ipsa numquam deficiet. Facile etiam erit intelligere ipsam esse quae cathedram Petri super quam Christus fundavit Ecclesiam suam semper habuerit et sequuta est. Quare ex his notis et ex eo quod Christus ipse et apostoli longe ante praedixerunt has ipsas persecutiones et paucitatem fidelium tunc futuram, cognoscere facile possunt qui tunc noluerint claudere oculos illam esse veram Ecclesiam. Numquam ergo Ecclesia deficiet aut defecit, neque quando Aaron et filii Israel adoraverunt vitulum aureum<sup>570</sup>, tum quia mansit in Moyse, Iosue et pluribus aliis de filiis Israel qui non videntur consensisse in nequitia illa [f. 304v] (tametsi populus maxima ex parte consenserit), quales videntur esse qui postea in alios iubente Moyse vindictam exercuerunt; tum etiam quia neque Aaron fidem interius amisisse vi-

568. Cfr. 2 Tes 2, 3; Dan 9, 27.

+ 569. Lc 18, 8.

- 570. Ex 32, 4ss.

detur, licet exterius consenserit; perinde atque Marcellinus in idolorum veneratione, et propterea quia mansit Ecclesia in ovili legis naturae, neque synagoga tunc perfecte erat fundata, neque Ecclesia defecit quando in decursu temporis Prophetæ clamabant quasi omnes filii Israel defecissent a vero Deo, tum quia in ipsismet clamantibus manebat vera fides, tum vel maxime, quia per synecdochen et consuetissimum loquendi modum scripturarum in Novo et Veteri testamento toti tribuunt quod convenit ei ratione plurium aut aliquorum, ut disputatione 2 ex parte diximus, et post Augustinum et alios docte et copiose exponit Canus, 4 de locis<sup>571</sup>. Quod ne diutius morer praetermitto.

**Utrum concilium universale legitime congregatum  
errare possit in definiendis his quae ad fidem  
et mores pertinent.**

**Disputatio 9.**

Conciliorum quaedam generalia dicuntur, quaedam provincialia, et quaedam dioecesana seu episcopalia. Dioecesana sunt quae ab Episcopo et clero in sua dioecesi celebrantur. Provincialia quae ab Episcopo aut superiore aliquo infra papam, ut a Patriarcha ex tota aliqua provincia aut provinciis celebrantur. Generalia vero in duplici sunt differentia. Quaedam talia dicuntur ex parte convocatorum et capitis simul, qualia sunt quae autoritate Papae ex omnibus provinciis quae commode possunt congregantur; quaedam vero ex parte capitis tantum, qualia sunt quibus Summus Pontifex pastor universalis praeest congregatis episcopis non ex omnibus provinciis, sed ex aliqua aut aliquibus dumtaxat.

[f. 305r] Concilia prioris generis, ut Isidorus. 6 *Ethymologiarum*, cap. 18<sup>572</sup> ait, et refertur cap. *Canones*. 15 d.<sup>573</sup> post tempora Apostolorum solum a tempore Constantini inveniuntur celebrata. Primum quidem eorum fuit Concilium Nicaenum adversus Arium. Ante illud tempus Ecclesia per orbem diffusa tum ob persecutiones tum etiam quod non esset facultas convocandi episcopos ex

571. CANO, *De locis*. l. 4, c. 4 et 5: ed. Serry c., 1, 258-280.

o 572. ISIDORUS, *Etymologiarum* l. 6, c. 16, 2: PL 82, 243 A.

✠ 573. *C. I. C.*, c. 1, D. XV: ed. Friedberg, 1, 34s.

omnibus provinciis, cum non essent papa ad sumptos, qui ad id erant necessarii, non potuit in unum locum convenire ad diffiniendum res fidei eaque quae ad mores et ad regimen Ecclesiae spectabant. Concilia vero universalis posterioris generis ante illud tempus inveniuntur celebrata, ut tempore Victoris, Corneli et Marcellini, de qua re vide Turrecrematam, lib. 3, cap. 4<sup>574</sup>.

Hoc itaque loco solum erit sermo de conciliis universalibus prioris generis; quando autem ostensum fuerit quantam habeat Summus Pontifex auctoritatem in rebus fidei et morum diffiniendis, patebit quantam habeant auctoritatem concilia alia posterioris generis; tantam habeat quantam habet Summus Pontifex solus adhibita suprema diligentia in rebus fidei et morum diffiniendis: illi namque erit maxima quam solus sine concilio universalis adhibere potest moraliter loquendo, tum etiam melius intelligetur quantam habeant auctoritatem concilia provincialia a Summo Pontifice confirmata, tum etiam quando a Summo Pontifice confirmata non sunt.

*congregari* {  
 Hoc praehabito sit prima conclusio. Praesto existente indubitato papa et non haeretico, cuius auctoritate concilium universale congregari possit<sup>b</sup>, ad ipsum pertinet concilium universale congregare, et locum et tempus praescribere, quod si sine illius auctoritate convocatum fuerit, nullum est errareque potest in fide. Haec est certa; atque ut a rationibus [f. 305v] lumine naturali petitis incipiamus, probatur primo, quia ad illum pertinet concilia convocare et congregare qui potestatem in universam Ecclesiam habet, et cui omnes in Ecclesia oboedire tenentur; talis autem est solus Summus Pontifex in Ecclesia; ergo eo existente indubitato et non haeretico potenteque convocare concilium universale, ad eum solum id spectat; hoc enim ipso quod Christus eum in pastorem universalem Ecclesiae instituit, illi tribuit hoc ius. Et confirmatur haec ratio, quia universales et maiores Ecclesiae causae ad solum Summum Pontificem spectant, ut ex multis testimoniis disputatione 4 citatis, patet; convocare autem concilium generale universalissima et maxima causa est in Ecclesia.

b. El MS repite *congregari*.

574. TORQUEMADA, JUAN DE, *Summa de Ecclesia*, l. 3, c. 4: ed. c., ff. 277v-278r.

2.º Congregatio conventuum universalium ad aliquid diffiniendum aut statuendum in republica in ordine ad bonum commune ad solum principem et rectorem universalem spectat; et si sine illius facultate aliqui convenerint et aliquid diffinierint, totum cassum est et vanum. 3.º quod primum fuit inter universalia sub his verbis ipsa prima sedes, id est, Romana convocandorum generalium synodorum iura detinet et iudicia episcoporum singulari privilegio illi sedi evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis. Atque hanc diffinitionem testantur Athanasius et universi episcopi Aegyptiorum in synodo<sup>575</sup>. 4.º, quia Concilium generale Ephesinum II damnatum fuit a Calcedonensi<sup>576</sup> ea ratione quod sine autoritate Papae celebratum fuit; et eadem ratione Ariminense a Damaso, epistola 5 decretali<sup>577</sup>; et epistola 5 canonica 2, ait Damascus<sup>578</sup>: synodum sine papae autoritate fieri non est catholicum. Item Concilium Constantinopolitanum sub Leone imperatore in quo sanctissimus Ignatius a sua sede expulsus est eadem ratione damnatum est ab 8 Synodo, act. 1.<sup>a</sup> et 7<sup>579</sup>; et concilium Pisanum a Lateranense ultimo, sess. 11<sup>580</sup>.

[f. 306r] 5.º quia Marcellus papa et martyr in decretis suis cap. 5<sup>581</sup>, inquit: ipsi apostoli et eorum successores Domino inspirante constituerunt ut nulla fieret synodus praeter Romanae Sedis autoritatem. Idem ait Iulius, cap. Dudum 3, q. 6<sup>582</sup>. Et tam ipse cap. Regula vestra<sup>583</sup>, quam Pelagius, cap. Multis, 17 d.<sup>584</sup>, decernentes concilium absque romanae sedis autoritate celebratum conciliabulum esse nullamque sortiri firmitatem. Canones autem et decreta quae statuunt certis temporibus celebrari concilia, de con-

c. MS: tantum.

575. PSEUDOATHANASIVS. *Epistola ad Felicem papam*: PG 28, 1473 D.

576. *Epistola Leonis papae ad Theodosium Augustum*. En ella reprueba el Concilio Efesino II porque «ipsi fidei probatur obesse et omnes ecclesias vulnerare». Se encuentra en: *Conciliorum... primus tomus*, p. 729 b, inmediatamente antes del Concilio Calcedonense. P

577. DAMASCUS. *Epistola quinta decretalis*: *Conciliorum... primus tomus*, p. 392 b. P

578. DAMASCUS. *Epistola 5: Conciliorum omnium... tomus primus*, p. 392 b. No se encuentran textualmente las palabras que cita Molina. Por lo demás, no parece que esa carta sea de Damasco. P

579. *Concilium Constantinopolitanum IV*, act. 1 et 7: apud CARRANZA, *Summa Conciliorum*, pp. 538-539, 542.

580. *Concilium Lateranense V*, sess. 2: COED, 595s.

581. MARCELLUS. *Epistola prima*: Mansi, I, 1263 A.

582. C. I. C., c. 9, C. III, Q. 6: ed. Friedberg, I, 521.

583. C. I. C., c. 2, D. XVII: ed. Friedberg, I, 51.

584. C. I. C., c. 5, D. XVII: ib., 51s.

ciliis provincialibus et dioecesanis loquuntur; et praeterea ordinationes sunt Summorum Pontificum in conciliis ipsis generalibus aut extra concilia; quare quae concilia iuxta huiusmodi canones celebrantur non fiunt sine romanae sedis autoritate. Quod si obicias aliquos imperatores legi congregasse aliqua concilia generalia, quae autoritatem hodie habent in Ecclesia, ut Nicenum, Ephesinum et Calcedonense, respondendum est autoritate et consensu Summorum Pontificum id fecisse, tamquam executores voluntatis et autoritatis eorum, eo modo quo Sixtus Papa, cap. Mandastis 2, q. 5 ait<sup>585</sup>: "Valentinianus Augustus nostra autoritate synodum congregari iussit".

2.<sup>a</sup> conclusio. In aliquibus casibus qui cum praecedente conclusione non pugnant, licitum est congregare concilium universale absque autoritate Summi Pontificis. Primus est tempore schismatis, quando non constat quis sit verus Summus Pontifex, ut fuit tempore concilii Constantiensis. 2<sup>us</sup>, quando papa est haereticus; tunc enim ad illum deponendum congregari potest concilium ipso etiam contradicente. 3<sup>us</sup>, si papa et collegium cardinalium simul interirent; tunc enim ad eligendum Summum Pontificem congregandum esset concilium universale. Haec probatur, quia licet existente papa catholico et indubitato [f. 306v] cura et causae universalis Ecclesiae ad ipsum pertineant et non ad praelatos inferiores qui iure divino ipsi sunt subiecti, attamen non existente papa indubitato et catholico, cura et causae universales Ecclesiae ad illos pertinent ad quos infra Summum Pontificem administratio et cura Ecclesiae commissa est, ut disputatione septima visum est. Quare sicut cessante iure humano ad ipsos pertinet electio Summi Pontificis, ut eadem disputatione visum est, et ob id mortuis cum Summo Pontifice electoribus institutis de iure humano, ad ipsos in concilio universali congregatos spectat electio Summi Pontificis, ita tempore schismatis quando dubium est quis sit verus Summus Pontifex ad ipsos spectat id diffinire et declarare cum de iure humano non aliud statutum sit in Ecclesia. Similiter quando Summus Pontifex propter haeresim deponendus esset aut declarandus depositus, ad ipsos spectat id efficere; attamen in his omnibus casibus prius ab ipsis constituendus aut declarandus est verus Summus Pontifex, quam ad res fidei et morum definiendas

✕ 585. C. I. C. c. 10, C. II, Q. 5: ib., 458.



procedant; diffinitio namque huiusmodi rerum ad concilium auctoritate Summi Pontificis congregatum, aut certe prosequutum aut confirmatum spectat, ut conclusionem praecedenti visum est, episcopique definiens aliquid ante electionem Summi Pontificis et id usurparent quod sibi non convenit, quandoquidem causae universales Ecclesiae non nisi in defectu Summi Pontificis, et quantum necesse est ut ille defectus suppleatur et quousque suppleatur ad ipsos congregatos pertinent, et praeterea in fraudem Summi Pontificis eligendi id viderentur efficere et antevertere; quare quidquid ita statuerent irritum esset et inane, nisi postea electo Summo Pontifice ab eo approbaretur et confirmaretur.

Convocatio episcoporum ad concilium in his casibus ad Cardinales aut ad principes christianos et maxime ad imperatores pertinet, non quidem tamquam ad praecipien[dum] [f. 307r] episcopis, sed tamquam ad denuntiantes, et tamquam ad eos quorum industria essent adiuvandi; et constituendum esset tempus ut omnes simul convenirent; possent etiam episcopi se invicem convocare et inter se constituere tempus atque ita ad concilium convenire.

Casu etiam quo Summus Pontifex captivus detineretur ita ut inde nihil posset statuere neque Vicarium substituere qui loco sui gubernaret Ecclesiam, aut casu quo in insaniam esset conversus, possent etiam episcopi convenire ad concilium generale orta aliqua haeresi cuius condemnatio differri sine detrimento non posset, idque propter rationem assignatam, quia infra Summum Pontificem cura universalis Ecclesiae ad episcopos omnes congregatos pertinet, in illis autem et similibus eventibus perinde esset ac si nullus esset Summus Pontifex. Quid autem faciendum esset quando insania Summi Pontificis iudicio medicorum incurabilis iudicaretur atque in aliis huiusmodi eventibus tractant Caietanus, tomo 1.<sup>o</sup> opusculorum. tractatu 1.<sup>o</sup> cap. 16<sup>86</sup> et Turrecremata, lib. 2. cap. 8<sup>87</sup>.

3.<sup>a</sup> conclusio. Definire res fidei et morum in concilio universali ad solos episcopos pertinet. illic congregati repraesentant Ecclesiam universalem dicunturque Ecclesia universalis. Antequam autem conclusionem probemus per suas partes. confirmemus eam

586. CAIETANUS. *De comparatione auctoritatis Papae et Concilii*, c. 16: ed. c., pp. 18 b-19 a.

587. TORQUEMADA. *JUAN DE SUMMA DE ECCLESIA*, l. 2, c. 8: No hemos podido verificar esta cita.

totam ratione hac a lumine naturali petita. In nulla bene instituta republica ad multitudinem totam pertinet diffinire et statuere quae ad bonum commune spectant; neque enim tota convenire posset, et multo minus a singulis accipi possent suffragia; et consultorum infinitus sit numerus paucique iudicio polleant ad discernendum quod oportet, imperitum vulgus turbationi et impedimento aliis essent, unde ad capita et rectores multitudinis ad id sollicitos et deputatos id spectare solet; et quod illi congregati definiunt et statuunt dicitur statuere respública eo quod illi rempublicam totam repraesentent et in illis tamquam in capitibus [f. 307v] et rectoribus multitudinis respública tota quodammodo contineatur. Pari ergo ratione credendum est in republica christiana, a Christo, Sapientia summa, instituta, definitionem eorum quae sunt fidei et morum statuereque ea quae ad bonum commune Ecclesiae spectant, non ad multitudinem totam pertinere (maxime cum res fidei tam sublimes sint), sed ad suprema capita et supremos pastores, episcopos scilicet, quos ut Paulus, Act 20<sup>588</sup> ait: *Spiritus Sanctus posuit [episcopos] regere Ecclesiam Dei* et praefecit universo gregi, maxime cum hi Apostolorum successores sint eisque Christus tradiderit claves et regimen Ecclesiae, et tantopere obedientiam praelatorum commendatam esse voluerit, Deique consuetudo sit infima per media et media per summa ad suos fines perducere, ut in naturalibus, in rebus publicis secularibus atque in hierarchia caelesti Angelorum intueri licet. Quae ergo assistentia Spiritus Sancti est in tota Ecclesia ne erret in definiendis rebus fidei et morum, utique illa est in episcopis legitime congregatis cum suo capite in concilio universali; et quod illi statuunt et definiunt Ecclesia tota quam repraesentant (non minus quam capita reipublicae secularis rempublicam secularem) et quae in ipsis tamquam in capitibus quodammodo continetur, dicitur definire et statuere.

Denique probatur conclusio quoad singulas partes. Et primo, quoad posteriorem, quod scilicet, episcopi congregati in concilio universali Ecclesiam universalem repraesentent, dicanturque Ecclesia universalis ad sensum explicatum, 1.º, ex illo Matthaei 18<sup>589</sup>: *si te non audierit dic Ecclesiae*, id est, praelato et capiti moderanti

† 588. Hch 20, 28.

+589. Mt 18, 17.

Ecclesiam; neque enim frater peccans denunciandus est singulis de Ecclesia, sed pastori adhibito uno aut altero teste; *si autem Ecclesiam non audierit*, in suo scilicet capite et pastore, *sit tibi sicut ethnicus*. Ecce pastor et caput cuiusque Ecclesiae Ecclesia nuncupatur a Christo; ergo pastores et episcopi singularum ecclesiarum et dioeceseum in unum congregati dicuntur Ecclesia universalis eamque repraesentant tamquam capita. [f. 308r] 2.º, ex illo 3 Reg 8<sup>590</sup>: *Congregati sunt omnes maiores natu Israel cum principibus tribuum et duces familiarum [...] ad Regem Salomonem in Ierusalem ut deferrent arcam foederis Domini*. Et inferius<sup>591</sup>: *Convertitque Rex faciem suam et benedixit omni Ecclesiae Israel; omnis enim Ecclesia Israel stabat*. Ecce maiores natu et principes tribuum et duces familiarum appellat Scriptura omnem ecclesiam Israel. Capita ergo Ecclesiae universalis ut sunt episcopi, Ecclesia universalis merito dicuntur eamque repraesentant.

3.º, ex Aristotele, 3 Politicorum cap. 4<sup>592</sup>, ubi rectores reipublicae rempublicam appellat dicens: principalissimum ubique gubernat civitatem, quod autem gubernat respublica est. Unde Augustinus, De baptismo contra Donatistas, lib. 1, cap. 18<sup>593</sup> plenarii concilii sententiam totius Ecclesiae confessionem vocat; et Athanasius ea causa<sup>594</sup>, inquit: fuit ut universus orbis in concilium coiret, ubi 318 episcopos in Nicena synodo congregatos vocat universum orbem.

Prior vero pars conclusionis, quod scilicet definire res fidei et morum in concilio universali ad solos episcopos pertineat, tametsi iure alii praesbiteri et viri docti conveniant et admittantur ad vota consultiva et ad discutiendum et disputandum coram episcopis res definiendas, quo ante definitionem maior discussio, diligentia et examen earum praecedat, probatur 1.º, ex Concilio illo tempore

- 590. 1 Reg 8. 1.

- 591. 1 Reg 8. 14.

Anst. 592. ARISTOTELES. *De republica, quae Politica dicuntur, libri VIII, l. 3, c. 4*: ed. Opera Basilea 1563 (Ioachimo Perionio interprete), t. 2, 241 B. La traducción de Perionio no es la que refiere textualmente Molina, aunque sí ofrece la misma idea. Dice: «Est quidem Respublica civitatis descriptio, cum in caeteris principibus non vel maxime in eo qui principatum tenet. Principatum autem non aliunde ratio ordoque civitatis: ratio autem ordoque civitatis sunt in Respublica».

c 593. AUGUSTINUS. *De baptismo contra Donatistas*, l. 1, 18, 27: CSEL 51, 170. También aquí están las mismas palabras del texto, aunque sí las ideas son diferentes.

o 594. ATHANASIO. *Epistola contra Arianos ad honoratissimos in Africa episcopos* l.º PG 28. 1129-1131. Habla más bien que todo el mundo lo aceptó y que a él acudieron todos de todo el mundo.

Apostolorum, Act. 15<sup>595</sup> ubi forma conciliorum praescripta est. Orta enim controversia Antiochiae utrum conversi ex gentibus tenerentur circumcidi et servare legalia, reque deducta ad Apostolos et praesbiteros in Ierusalem, *Convenerunt*, inquit Lucas, *Apostoli et seniores*, hoc est, praesbiteri, *videre de verbo hoc*, et *cum magna conquisitio fieret*, solos Apostolos Petrum et Iacobum sententias definitivas dixisse narrat Lucas, dicente prius Petro [f. 308v] ut capite Ecclesiae et postea Iacobo caeterisque tacentibus et tunc diffinitio missa est ad Antiochenos. Paulus enim et Barnaba eandem sententiam dixerant Antiochiae eamque proposuerunt in concilio, et utrum vera esset controvertebatur; unde non fuit necesse eos aliter suas sententias ibi dicere, maxime cum postquam Petrus sententiam dixit, multa narraverint, teste Luca, inter quae sententiam suam forte iterum protulerunt. Ad solos ergo episcopos qui Apostolis succedunt diffinitio pertinet in conciliis licet alii ad inquisitionem et indaginem veritatis admittantur. Quod autem in eodem capite subiungitur<sup>596</sup>: *tum placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia* etc. non reliquos de Ecclesia sententias dixisse significat, sed unanimi consensu diffinitionem Apostolorum acceptasse; atque ex consensu eius Ecclesiae Iudam et Silam missos esse cum Paulo et Barnaba. Nomine vero totius Ecclesiae missa est epistola ut consensus totius Ecclesiae Ierosolimitanae innotesceret Antiochenis.

2.<sup>o</sup> probatur conclusio, quia iudicare et statuere ea quae ad bonum commune spectant, utique ad rectores et moderatores reipublicae pertinet ex officio, et maxime ubi non a republica, sed a Deo habent ius et munus moderandi rempublicam; episcopi autem rectores et moderatores universalis Ecclesiae sunt, quibus caeteri subsunt; imo parochi et inferiores rectores ecclesiarum in adiutorium episcoporum et tamquam instrumenta ex institutione Christi eis data sunt. Unde in ordinatione presbiterorum episcopi dicunt: quanto fragiliores (Apostolis scilicet) sumus tanto magis his auxiliis indigemus<sup>597</sup>; ergo ad solos episcopos in conciliis ex officio spectat diffinire quae ad fidem et mores pertinent.

+ 595. Hch 15, 6ss.

+ 596. Hch 15, 22.

597. *Pontificale Romanum*: «qui quanto magis fragiliores sumus tanto his pluribus indigemus»: Sacramentarium Veronense, ed. Molhberg, O. S. B., Herder, Roma 1956, p. 122, 12-13. √ ∩

3.º Praescribere et distinguere pastum ovibus, ubique [f. 309r] ad pastores spectat; unde in Ecclesia pastores scientia ad id necessaria pollere debent. Paulus enim Ephes 4<sup>598</sup> cum praemisisset: *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas*, addit: *alios autem pastores et doctores*, coniungens cum munere pastoris munus doctoris, quoniam qui pastor est, doctor idem esse debet. Ad gradum ergo episcoporum post quos praecipue et proprie relinquebat pastores in Ecclesia, instituere debebat Christus ut pertineret in conciliis distinguere et praescribere pastum ovibus, diffiniendo et statuendo quae ad fidem et mores pertinent. Licet namque unus aut alter in futurum non ea scientia polleret qua oporteret iuxta suum munus, abusus id forte esset eligentium; prudens tamen institutor reipublicae non ad id respicere debebat, sed id cuique gradui tribuere debebat quod in republica bene instituta unumquemque habere oportebat.

4.º, et potissimum, hoc ipsum probatur ex traditione et usu antiquissimo Ecclesiae in conciliis generalibus ut in Niceno 1.º et sequentibus, ut patet evolventi tomos conciliorum, ubi soli episcopi statuebant et diffiniebant. Et ob id concilia universalis, episcoporum concilia dicuntur ab Augustino, epistola 119, cap. 19<sup>599</sup> et 152, et contra Donatistas post collationem, cap. 15, et de baptismo contra Donatistas, lib. 6, cap. 38. Vide capita omnia 12 d. a Marcello epistola 2 decretalium<sup>600</sup>; a Leone, epistola 26<sup>601</sup> et pluribus aliis. Theodosius etiam imperator<sup>602</sup> scribens primae Ephesinae synodo quae fuit tertia universalis ita ait: illicitum est eum qui non sit ex ordine sanctorum episcoporum ecclesiasticis misceri tractatibus. Praeterea Pulcheria Augusta, in epistola ad strategum Bythinae consulem<sup>603</sup> quae habetur ante concilium Calcedonense, ipsum monet ut clericos monachos et laicos quos nulla ratio ad concilium vocat [f. 309v] expellat de loco concilii; in his

\* 598. EI 4, 11.

o 599. AUGUSTINUS. *Epistola 43* (7), 19: CSEL 34 2, 101, 16-17; *Epistola 141*, 4: CSEL 44, 238; *Contra partem Donati post gesta*, c. 15, 19: CSEL 53, 116ss; *De baptismo contra Donatistas*, l. 2, c. 12: CSEL 51, 192ss.

x 600. C. I. C., c. 1, D. XVII: ed. Friedberg, 1, 50. [Marcellus, Ep. 2.]

o 601. No hemos podido encontrar una cita explicita en las cartas de S. León que diga lo que Molina le atribuye en el texto. Implícitamente lo afirma en casi todos sus escritos que tratan de los Concilios.

o 602. THEODOSIUS. *Epistola ad Concilium Ephesinum*: Mansi, 4, 1119 A.

o 603. PULCHERIA AUGUSTA. *Epistola ad consularem Bythinae Stratigium*: Schwartz, ACO, 2 3, 1, p. 21, 21-27. ?

autem laudibus Leo eam effert<sup>604</sup>; et 8.<sup>a</sup> Synodus, 600 annis post, cum Iudith et Helena eam annumeravit in concilio<sup>605</sup>. Praeterea Calcedonense, cum quidam clerici inserere se vellent concilio Patres clamaverunt: Synodus episcoporum est, superfluos foras mitte<sup>606</sup>, et in eodem concilio act. 4<sup>607</sup> habetur quod cum Martinus Abbas in concilio ephesino requisitus esset ab Eubulo ut se subscriberet, non acquievit dicens: Non est meum subscribere, episcoporum tantum est. In eodem item Calcedonensi concilio<sup>608</sup>, tum etiam in quinta synodo quae est Constantinopolitana 2.<sup>a</sup><sup>609</sup> episcopi in hanc formam subscripserunt: Flavianus episcopus Constantinopolitanus iudicans, et alio loco definiens subscripsit. Praesbiter vero in hanc formam: Eusebius praesbiter subscripsit. Interdum enim in conciliis praesbiteri et saepe etiam imperatores subscripserunt post episcopos, non tamquam iudices, sed tamquam consentientes et acceptantes deffinitiones episcoporum, ut late et dilucide ostendit Osius, De fide et symbolo, cap. 24<sup>610</sup>. Vide etiam Turrecrematam, lib. 3, cap. 12, 13, 14 et 15<sup>611</sup>. Et adverte quod in primis tribus conciliis generalibus quae antecesserunt concilium Calcedonense, soli episcopi subscripsisse leguntur.

4.<sup>a</sup> conclusio. Ut concilium universale sit et legitimum non requiritur ut Summus Pontifex in eo reperiatur per se ipsum, sed satis est si per suos legatos in eo sit et illi praesit. Haec probatur ex antiquissimo usu Ecclesiae. Nulli enim octo primorum conciliorum universalium per se ipsum interfuit, sed per suos legatos, ut patet intuenti singula. Unde Leo I rogatus ab imperatore et concilio Calcedonensi ut ei concilio per se ipsum interesse dignaretur, se ipsum excusavit quod nullus suorum praedecessorum conciliis antecedentibus interfuerint, et quod non expediret regimini et ne-

604. Puede quizás referirse a la carta 116, c. 1 [62]: Schwartz, ACO, 3/1, 68 (PL 54, 1036).

605. *Concilium Constantinopolitanum IV*, act. 7 et 9 (in fine): LABBEI, *Sacrosancta Concilia*, t. 10, Venecia 1730, pp. 605 y 614: «Novae Judith, multos annos. Novae Helenae, multos annos. Novae Pulcheriae, m.a.».

606. *Concilium Calcedonense*: Mansi, 6, 819 D.

607. No hemos podido encontrar esta cita en el Concilio Calcedonense.

608. *Concilium Calcedonense*, gesta actionis I: Schwartz, ACO, 3/1, 50, n. 55.

609. *Concilium Constantinopolitanum II*: Mansi, 8, 969. 971.

610. HOSIUS, *Confessio catholicae fidei christiana*, c. 24: ed. c., f. 20v.

611. TORQUEMADA, JUAN DE, *Summa de Ecclesia*, l. 3, c. 12, 13, 14 et 15: ed. c., ff. 287v-293r.

gocis Ecclesiae ut Romam relinqueret et Calcedoniam tanto tempore commigraret<sup>612</sup>.

[f. 310r] 5.<sup>a</sup> conclusio. Ut concilium aliquod generale sit non satis est si convocentur generaliter omnes episcopi; non etiam requiritur ut omnes in universum conveniant; requiritur tamen ut ex omnibus aut fere omnibus et maxime ex praecipuis provinciis aliqui episcopi conveniant. Prima pars probatur, quia si convocatis omnibus episcopis convenirent ex una tantum aut duabus provinciis, non convenientibus ex pluribus aliis, certe concilium cum illis tantum episcopis celebratum non diceretur generale in ea acceptione de qua loquimur, ut de se patet.

Secunda pars probatur, quia nullum videtur hactenus concilium celebratum concurrentibus omnibus in universum<sup>d</sup> episcopis, ut ex ipsismet conciliis patet, et omnes consentiunt. Quare ex ipsomet usu Ecclesiae patet ad rationem concilii generalis id non requiri. 2: quia neque expedit tam diffinitionibus conciliorum quam ecclesiis particularibus ut omnes in universum episcopi ad concilium accedant, sed satis est si ex unaquaque provincia accedant praecipui doctrina et moribus, providentia et experientia rerum; reliqui vero maneant intendentes ovibus suis. Illi enim qui accedunt satis sunt ad repraesentandum Ecclesiam illius provinciae; imo aliquando primates et Patriarchae cum legitima causa impediuntur, mittunt legatos et vicarios loco sui qui cum aliis eiusdem provinciae ecclesias patriarchales aut metropolitanas repraesentant, ut in Concilio Calcedonensi et aliis, patet. 3: quia si ad rationem et autoritatem concilii universalis requireretur omnes in universum episcopos convenire, cum facillimum sit ex tanta copia episcoporum plures deficere vel infirmitate aut senectute vel aliis iustis impedimentis, aut negligentia vel malitia, regeve aliquo cui displiceret concilium impediende accessum, vix possit celebrari concilium universale atque ea via subveniri necessitatibus Ecclesiae in causa fidei et morum [f. 310v] ut synceritas fidei et morum atque unitas Ecclesiae servaretur. Adde quod sicut si ex singulis provinciis Hispaniae aliqui rectores seligerentur et convenirent in unum

d. MS: conciliis.

¶ 612. Leo I, *Epistola ad Theodosium Augustum*, 37 (a. 33): PL 54, 811s; *Epistola 15*: Schwartz, ACO, 2/4, 17s. *Epistola ad Pulcheriam Augustam*, 31: PL 54, 795s.

locum, tota Hispania diceretur convenisse, esto multi eiusdem ordinis cum illis qui accesserunt remanerent, ita convenientibus ex singulis provinciis per quas est dispersa Ecclesia episcopis ad id selectis in aliquod concilium, Ecclesia universalis per omnes illas provincias dispersa diceretur eo convenisse, esto multi episcopi eiusdem ordinis cum his qui convenerunt remanerent in suis sedibus.

Tertia pars probatur, quia si una aut altera provincia vel iusto impedimento vel etiam malitia non accedat accedentibus praecipuis (maxime in quibus essent sedes patriarchales ab Ecclesia universali non divisae, ut quondam erant constantinopolitana et antiochena etc.) certe quae ita accessissent Ecclesia universalis essent appellandae auctoritatemque Ecclesiae universalis haberent; in primis, quia Ecclesia universalis moraliter in humano loquendi modo est accipienda; sicut enim deficiente una aut altera civitate sive malitia sive iusto impedimento, quod rex cum reliquis statueret, regnum ipsum statuisset diceretur, quia defectus unius aut duorum civitatum non tollit a reliquis cum suo capite rationem regni, ita defectus unius aut duorum provinciarum non tollit a reliquis cum capite Ecclesiae rationem Ecclesiae universalis. Deinde, quia malitia aut defectus unius aut alterius partis toti praeiudicare non debet, quin potius reliquum totius eandem retinet auctoritatem in omni bene instituta republica non solum ad statuendum et discernendum, sed etiam ad cogendum partem vel malitia vel iusto impedimento deficientem, ut stet decretis et statutis totius.

[f. 311r] Quot<sup>o</sup> autem ecclesiarum aut provinciarum defectus sufficiat ut concilium non censeatur universale in ea acceptione de qua loquimur, arbitrio prudentis viri iudicandum est collata amplitudine, multitudine aut nobilitate ecclesiarum vel provinciarum deficientium cum multitudine, nobilitate et amplitudine earum quae accesserunt. Quo enim Ecclesia universalis constrictior fuerit paucioresque illi provinciae paruerint eo defectus pauciorum provinciarum sufficet ut concilium non dicatur universale, quia pro magnitudine totius defectus maioris aut minoris partis pro nihilo reputatur; amplitudo etiam et nobilitas partis multum facit ad hoc ut reputetur aut non reputetur pro nihilo. Quare ad id etiam attendendum est. In tota hac conclusione convenit nobis-

---

e. MS: quod.



cum Canus, 5 de locis, cap. 3<sup>613</sup> et conveniunt plures alii. Vide Turrecrematam, 3 lib., cap. 16, 17, 18<sup>614</sup>.

6.<sup>a</sup> conclusio. Concilium universale legitime congregatum et a Summo Pontifice confirmatum errare non potest in rebus fidei et morum. Haec est adeo certa ut oppositum non dubitem appellare errorem apertum in fide. Probat<sup>ur</sup> 1.<sup>o</sup>, quia de fide est Ecclesiam universalem errare non posse in fide, ut disputatione praecedenti pluribus aperte ostensum est. Sed tota Ecclesia stare tenetur definitioni concilii universalis legitime congregati et a Summo Pontifice confirmati. Si ergo huiusmodi concilium errare possit in fide, Ecclesia errare posset in fide, imo ad id teneretur. Cum ergo hoc haereticum sit, fit ut et illud aliud unde hoc sequitur haereticum sit. Solum est quod probemus minorem primo loco assumptam, quae probatur 1.<sup>o</sup> ex illo Matthaei 18<sup>615</sup>: *Si Ecclesiam non audierit, in praelatis scilicet, sit tibi sicut ethnicus*; quando autem tenetur quis magis eam audire illiusque decretis et statutis stare quam quando aliquid decernit praelatis orbis legitime congregatis, praesidente Summo [f. 311v] Pontifice aut confirmante decreta? Et Lucae 10<sup>616</sup> de Apostolis et ipsorum successoribus inquit Christus: *qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit*. Et Paulus, Hebr 13<sup>617</sup>: *Obedite praepositis vestris et subiaccete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris*. 2.<sup>o</sup> probatur eadem minor, quia non minor obedientia debetur Cathedrae Petri et episcopis orbis legitime congregatis quam Summo Sacerdoti in lege Veteri et Cathedrae Moysi; sed Deut 17<sup>618</sup> praecipitur a Deo orto dubio aliquo ascendere ad Summum Sacerdotem pro tempore existentem et stare sententiae illius, eumque qui sententiae Summi Sacerdotis stare nolisset interfici et ita auferri malum de Israel, ut audiens populus timeret nullusque deinceps intumesceret superbia. Christus etiam Matthaei 23<sup>619</sup> turbis et discipulis dicebat: *Super cathedram Moysis sederunt scribae et pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere*. Ergo Ecclesia obedire de-

613. CANO, *De locis*, l. 5, c. 3: ed. Serry c., 1, 323ss.

614. TORQUEMADA, JUAN DE, *Summa de Ecclesia*, l. 3, c. 16, 17 et 18: ed. c., ff. 293r-295v.

† 615. Mt 18, 17.

† 616. Lc 10, 16.

+ 617. Heb 13, 17.

- 618. Dt 17, 9-13.

† 619. Mt 23, 2s.

bet Summo Pontifici et episcopis in concilio universali stareque decretis illius.

2.<sup>o</sup> probatur conclusio, quia auctoritates quibus probatum est disputatione praecedenti Ecclesiam non posse errare in fide probant directe nostram conclusionem. Si enim cathedra Petri cum concilio universali errare potest, quomodo super Petrum ratione cathedrae traditae sibi et successoribus dicitur aedificata Ecclesia adversus quam portae inferi non praevallebunt? quomodo etiam verum est quod Christus oravit pro Petro ut non deficeret fides illius quam ipse et successores ex cathedra docerent? Unde etiam diligentiam in confirmandis in fide fratribus ei commendavit. Praeterea, si Christus omnibus diebus usque ad consummationem saeculi est in Ecclesia<sup>620</sup> ei assistens ne erret, si ubi duo vel tres sunt congregati in nomine eius, ibi est in medio eorum<sup>621</sup>; si Spiritus Sanctus datus est Ecclesiae ut in ea sit in aeternum eique assistat [f. 312r] et suggerat omnia ad salutem necessaria<sup>622</sup>, quando, quaeso, credendum est Christum et Spiritum Sanctum magis ei assistere quam in concilio universali congregato nomine Christi, id est, auctoritate ab ipso derivata et approbato per Vicarium suum, maxime cum tam consecraneum sit rationi totam Ecclesiam caput subicere diffinitionibus supremi capitis quod Christus sibi substituit Vicarium, et episcoporum rite congregatorum, quos et Christus instituit, et Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, praecipue cum tam stricte Christus praeceperit Ecclesiae stare et obedire illorum praeceptis? Certe vel numquam Christus et Spiritus Sanctus assistunt infallibiliter Ecclesiae, quod impium et haereticum est cogitare, vel tum maxime infallibiliter ei assistunt; potissimum cum nullum aliud superius tribunal cogitari possit relictum a Christo in Ecclesia, cuius iudicio et sententiae standum sit in causa fidei et in controversiis ortis circa Scripturas Sacras et interpretationem earum. Deinde, si Ecclesia in concilio generali legitime congregato et a Summo Pontifice confirmato non est columna et firmamentum veritatis, sed errare potest in fide, in quo quaeso alio censenda est columna et firmamentum veritatis iuxta testimonium Pauli?<sup>623</sup>

620. Cfr. Mt 28, 20.

621. Cfr. Mt 18, 20.

622. Cfr. Jn 14, 16.

623. Cfr. 1 Tim 3, 15.

3.<sup>o</sup> Ea quae deinceps subiiciemus probant etiam nostram conclusionem. Si enim concilium legitime congregatum et a Summo Pontifice confirmatum errare potest in fide, perit certitudo et infallibilitas Scripturarum Sanctarum omniumque quae de fide sunt. Cum enim vulgi non sit iudicare qui libri canonici sint, neque quorumcumque litteratorum, sed praecipuorum certe iudicium hoc neque est neque fuit totius Ecclesiae universalis quoad singulos de Ecclesia, quorum ergo in Ecclesia Dei est et fuit iudicium infallibile in discernendis Scripturis Sacris a non sacris, si concilium universale excludis? Si nullorum, non ergo certum est et de fide Scripturas quas habemus tamquam [f. 312v] canonicas revera canonicas esse et subinde neque certa et de fide erunt quae in illis continentur; potuerunt namque errare qui illas ut tales receperunt, et possunt etiam errare qui illas credunt incorruptas et qui hodie putant esse illas easdem quas primi rite receperunt. Si aliquorum da, quaeso, quorum? praeponesne Hieronymum aut Augustinum concilio generali a Summo Pontifice confirmato, dicesque iudicium Hieronymi aut Augustini esse infallibile et de fide cui non possit subesse falsum? aut forte tamquam ad iudicium certum et infallibile recurras ad iudicium Iosephi aliorumque hebraeorum qui vel post vel ante adventum Christi fuerunt, et concilium generale Ecclesiae excludes? Cum ergo haec ineptissima sint et iudicium de libris canonicis non sit totius Ecclesiae quoad omnes fideles, neque sit assignare aliquid in quo sit iudicium hoc infallibile si concilium universale excludatur, certe corrui autoritas Scripturarum Sanctarum. Si dicatur Ecclesiam quoad concilium universale a Summo Pontifice approbatum errare posset in fide, certe numquam apostoli in Symbolo ad Ecclesiam nos remitterent in rebus fidei proponentes singulis fidelibus credendam sanctam Ecclesiam Catholicam, sed remitterent nos ad Scripturas Sacras. Si enim in rebus fidei dubiis atque in legitima interpretatione Scripturarum et distinguendis Scripturis Sanctis a non sacris Ecclesiam non sequamur duces in conciliis generalibus praesidente Summo Pontifice aut confirmante definitiones, ubi, quaeso, illam sequemur duces aut illius iudicio stabimus? certe verba Apostolorum ad illam nos remittent tamquam ad columnam et firmamentum veritatis.

4.<sup>o</sup> probatur conclusio, quia Ecclesia exemplum et traditiones Apostolorum sequuta semper, quando licuit, concilium universale adhibuit tamquam regulam certissimam et infallibilem in defi-

niendis componendisque controversiis fidei, Apostolique Act 15<sup>624</sup> non solum exemplum hac in parte Ecclesiae reliquerunt cum orto dubio illo Antiochiae con[f. 313r]venerunt cum praesbiteris et Ecclesia videre de verbo hoc quod soli poterant diffinire, sed etiam ut docerent Ecclesiam in similibus conciliis in quibus caput Ecclesiae resideret, assistereque Spiritum Sanctum neque posse errare in decreto quod tunc statuerunt. Dixerim [sic] *visum est Spiritui Sancto et nobis*, etc. Et confirmatur haec ratio, quia si concilium universale de quo loquimur non haberet infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, sed errare posset in fide, incerta essent omnia hactenus definita in Ecclesia Dei, symbolum etiam fidei quod in ipsa canitur incertum esset integrumque esset cuique in dubium revocare; haereses omnes ab Ecclesia hactenus damnatas Arii, Sabellii et caeterorum; imo audiendi essent quicumque vellent illas in dubium revocare quandoquidem non repugnaret falsa esse quae definita sunt ab Ecclesia et contrarium verum esse ac legitime probari ex Scripturis melius intellectis. Hoc autem dato, quaeso, quae utilitas erit conciliorum, quae pax et consensus esse poterit in Ecclesia, quis status perturbationis<sup>f</sup> fingi poterit Republicae christianae? Quid incertius cogitari potest sanctissima fide nostra in qua, neque Scripturae ipsae certae erunt, sed in omnibus semper erimus obedientes et numquam ad scientiam veritatis pervenientes, quod Paulus improperat?<sup>625</sup> Nonne stultum est cogitare Christum, Sapientiam Patris talem constituisse Ecclesiam pro qua sanguinem fudit? Certe longe aliter patres senserunt de diffinitionibus conciliorum generalium existimantes impium in quaestionem revocare quae semel in illis diffinita essent utpote certissima et assistentia Spiritus Sancti constituta. Ita Leo I, epistola 6, 7, 8<sup>626</sup>; Athanasius, Apologetico 2<sup>627</sup>; Gelasius, in epistola ad episcopos [f. 313v] Dardaniae<sup>628</sup> (vide cap. Maio-

f. MS: quis status perturbatio.

† 624. Hch 15, 6ss.

625. Cfr. 2 Tim 3, 7.

626. LEO I, *Epistola ad Theodosium Augustum* 69: PL 54, 890ss; *Epistola ad Marcianum Augustum* 82: PL 54, 918 A; *Epistola ad Paschasium episcopum Lybaetanum* 88, c. 3: PL 54, 928s; *Epistola ad Leonem Augustum* 165, c. 10: PL 54, 1171 B.

○ 627. ATHANASIUS, *Apologia contra Arianos* (Apologia secunda), 1, 2, 24, 25 et passim: PG 25, 250, 290...

628. GELASIUS I, *Epistola ad episcopos Dardaniae*: Mansi, 8, 50 B; 64 B. ?

res 24, q. 1<sup>629</sup>); Symmacus, ad clerum Dardaniae<sup>630</sup> et Hormisdas ad Epiphanium<sup>631</sup>; Valentinianus et Martinianus lege Nemo codice de Summa Trinitate<sup>632</sup>; et in concilio Calcedonensi non permiserunt Patres iterum tractari quae in Niceno fuerunt definita, quin potius damnaverunt: "si quis retractat, anathema sit"<sup>633</sup>; "si quis super ista inquit, anathema sit"; maledictus qui addit, maledictus qui aufert, maledictus qui innovat. Lege etiam Socratem, lib. 2 ecclesiasticae historiae, cap. 20<sup>634</sup> et Sozomenum, lib. 4 cap. 17<sup>635</sup>. Gregorius, in Registro, lib. 1, cap. 14 et lib. 2, cap. 49 et lib. 3, cap. 33<sup>636</sup> et refertur distinctione 15, cap. Sicut sancti<sup>637</sup>, ita inquit: Sicut sancti Evangelii quattuor libros sic quattuor concilia suscipere et venerari me fateor, Niceanum, scilicet, Constantinopolitanum I, Ephesinum I et Calcedonense. Et infra: Quintum etiam concilium veneror, neque plura ante sua tempora celebrata erant<sup>638</sup>. Isidorus etiam, cap. Canones, eadem distinctione<sup>639</sup>, numeratis iisdem quattuor primis conciliis generalibus, addit: sed et si quae sunt alia concilia quae sancti patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post illorum quattuor auctoritates omni maneant stabilita vigore. Auctoritatem conciliorum universalium confitentur Hilarius, in lib. de Synodis<sup>640</sup>; Augustinus, praeter loca citata, contra Manichaeos, cap. 17, de baptismo contra Donatistas, lib. 6 ac alibi<sup>641</sup>; et plerique alii.

Postremo probatur conclusio, quia concilium universale praesentat Ecclesiam universalem, ut conclusione tertia proba-

✕ 629. C. I. C., c. 2, C. XXIV, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 966.

630. SYMMACHUS, *Epistola ad clerum Dardaniae, etc.: Conciliorum omnium... tomus primus*, Colonia 1551, p. 1028.

631. HORMISDAS, *Epistola ad Epiphanium: Conc. omn... t. primus*, 1041 A.

632. *Corpus Iuris Civilis*, Codex Iustinianus, 1, 1, 4: ed. Krueger, Berlín 1959, 6 a.

633. Las palabras que aduce Molina en el texto no hemos logrado encontrarlas en las Actas del Concilio Calcedonense. La idea, sin embargo, se repite frecuentemente, especialmente en las primeras sesiones.

634. SÓCRATES, *Ecclesiastica Historia*, 1. 2, c. 20: PG 67, 233 y 236.

635. SOZOMENUS, *Ecclesiastica Historia*, 1. 4, c. 17: PG 67, 1164.

636. GREGORIUS I, *Registrum Epistolarum*, 1. 1, ep. 25: PL 77, 478; 1. 2, ep. 51: ib., 592ss; 1. 3, ep. 10: ib., 613.

✕ 637. C. I. C., c. 2, D. XV: ed. Friedberg, 1, 35s.

✕ 638. *Ib.*

✕ 639. C. I. C., c. 1, D. XV: ed. Friedberg, 1, 34s (ISIDORUS, *Etymologiarum* 1. 6, c. 16, 10: PL 82, 244).

○ 640. HILARIUS PICTAVIENSIS, *De synodis*, 86: PL 10, 538s.

○ 641. AUGUSTINUS, *De baptismo contra Donatistas*, 1. 6. Véase, por ejemplo: 1, 1: CSEL 51, 298, 11-12: 7, 10: ib., 305, 26-27; 13, 20: ib., 311, 29.

La cita, sin embargo, «*Contra Manichaeos*, c. 17», no hemos podido encontrarla en ninguna de las obras de S. Agustín contra los Maniqueos.

tum est. Et potest confirmari, quia ita diffinitum fuit in concilio Constantiensi, sess. 4 et 5<sup>642</sup>; et in Bulla Martini V<sup>643</sup>, in fine eiusdem concilii praecipitur ut haeretici de quibus ibi erat sermo revertentes ad gremium Ecclesiae interrogentur utrum generale quodcumque concilium Ecclesiam universalem repraesentet; et idem diffinitum fuit in concilio Senensi cui praefuit Martinus V<sup>644</sup>, et in concilio Lateranensi sub Leone, sess. 12<sup>645</sup> in schedula impositionis decimarum. Quare periculosa est opinio Victoriae, relectione de potestate Ecclesiae, q. 1 num. 6<sup>646</sup>, et quorundam [f. 314r] aliorum negantium concilium universale repraesentare Ecclesiam universalem. Licet enim (ut probe notat Sotus, in 4, d. 20, art. 4 ad 2<sup>647</sup>) episcopi in eo congregati non eam repraesentent tamquam procuratores christiani populi per potestatem a populo christiano acceptam; eam tamen repraesentant tamquam pastores universalis Ecclesiae per potestatem acceptam a Christo. Unde ex suo munere et per potestatem quam habent ex ordinatione Christi non minus habent repraesentare ecclesias quibus praesunt quam si eandem potestatem accepissent a fidelibus ecclesiarum atque ab eisdem essent delegati ut interessent concilio nomine omnium. Hinc ergo ita conficio argumentationem: diffinitio totius Ecclesiae per suos procuratores ad id a fidelibus delegatos vere diceretur diffinitio Ecclesiae universalis; sed episcopi in concilio ex suo munere non minus habent diffinire res fidei nomine fidelium (etiam renuentibus fidelibus ipsis) quam si ab ipsis essent delegati et ab eis haberent potestatem; ergo diffinitio episcoporum cum supremo capite Ecclesiae in concilio generali est diffinitio Ecclesiae universalis. Ecclesia autem universalis ex promissione Christi et assistentia Spiritus Sancti non potest errare in fide; ergo neque concilium generale praesidente aut confirmante illud Summo Pontifice.

C 642. *Concilium Constantiense*, sess. 4 et 5: COed, 408, 10-12; 409, 22-24.

643. MARTINUS V, *Bulla «Inter cunctas»*: DS<sup>34</sup> 1247. P

C 644. *Concilium Sennense*: Mansi, 28, 1060 A.

C 645. *Concilium Lateranense V*. No hemos podido encontrar, en el pasaje citado por Molina, una frase en la que expresamente se diga que el Concilio universal representa a toda la Iglesia. Implícitamente está la idea, lo mismo que en el largo discurso de Máximo Corvini, que se encuentra a continuación. (Cfr. *Conciliorum omnium...t. tertius*, pp. 707-714.)

646. VITORIA, FRANCISCO, *Relectio De potestate Ecclesiae*, 2, q. 1, n. 6: ed. c., p. 68.

647. SOTO, DOMINGO, *Commentariorum...in Quartum Sententiarum, tomus primus*. d. 20, q. 1, a. 4 ad 2: ed. c., 945 a.

Ex conclusione proxime probata satis patet periculosam esse quandam aliam sententiam Victoriae loco citato<sup>648</sup> asserentis in concilio universali nullam aliam esse auctoritatem praeter illam quae consurgit ex potestatibus ecclesiasticis singularum partium concilii se unientium propria voluntate in unum totum et congregationem; perinde, inquit, atque in concilio provinciali non est alia potestas quam quae consurgit ex potestatibus singulorum praelatorum ibi convenientium. Unde vult supposita potestate ecclesiastica singulorum praelatorum volentium constituere unum totum cui se subiciant tamquam partes, neque esse aliam quam singu[f. 314v]larum partium simul sumptarum. Quare, inquit, nulla est ibi potestas totius concilii quae sit de iure divino. In eadem sententia videtur esse Pygius, lib. 6 Hierarchiae, cap. primo<sup>649</sup>, licet liberius loquatur affirmans concilia universalis non habere nisi auctoritatem humanam inventumque fuisse Constantini. Utriusque sententiam plus quam periculosam et aperte falsam esse, patet ex dictis; ostensum est enim Christum assistentiam suam et Spiritus Sancti promisisse concilio universali ad non errandum in rebus fidei; eam vero habet totum corpus concilii et non solus Summus Pontifex. Habet autem eam totum concilium non ita ut nullus de concilio possit errare, sed ita ut pars concilii quae sufficit ad definiendum non possit errare. Propter hanc autem assistentiam Spiritus Sancti illustrantur et moventur modo interius ab Spiritu Sancto quidam de concilio et modo alii saltem quantum necesse est ut non definiatur falsum. Extra concilium autem universale hanc assistentiam infallibilem non habent episcopi neque separati neque congregati in conciliis provincialibus aut etiam in universalibus non legitime congregatis. Quare praeter potestatem quae consurgit ex potestatibus singulorum aliquid de iure divino et ordinatione Dei possunt congregati in concilio quod non possunt separati.

Sylvester, verbo Concilium, q. 2<sup>50</sup>, affirmat concilium universale errare posse non tamen perseveranter et diu. Et in confirmationem huius rei citatur concilium Aquisgranum quod erra-

648. Vése la nota 646.

649. PYGIUS, ALBERTO, *Hierarchiae ecclesiasticae assertio*, l. 6, c. 1: ed. c. (nota 281), f. 324r-v.

650. PRIEIRAS, SILVESTRE, *Summa summarum*, v. *Concilium*, q. 2: ed. c., p. 151 a.

vit circa matrimonium inter raptorem et raptam, deffiniens esse nullum, etamsi raptor et rapta et parentes ipsius consentiant, ut patet capite Placuit, 36, q. 2<sup>651</sup>; unde hac in parte statur Hieronymo qui oppositum dicit cap. 3, eadem causa, et quaestione<sup>652</sup> ut notat glossa cap. De libellis, 20 d.<sup>653</sup> Episcopus Leriensis, lib. 2 Axiomatum, cap. 9<sup>654</sup>, limitat sententiam hanc quod vera sit quando Summus Pontifex et concilium non adhibent debitam diligentiam in definiendis rebus; tunc enim, inquit, errare potest, non tamen diu durabit error ille. Et idem affirmant Sylvester, loco citato<sup>655</sup> et verbo Fides, q. ultima. Movetur autem [f. 315r] Leriensis, tum quia diffinire res non convocatis episcopis ad id idoneis aut non adhibita diligentia debita, est tentare Deum et sperare ab illo miracula sine necessitate quod Deo displicet, tum etiam quia promissiones divinae sunt sub conditione. Utriusque sententia non minus periculosa est et falsa quam praecedens, si intelligatur de concilio universalis praesidente Summo Pontifice aut approbante illius decreta, ut illam intelligit episcopus Leriensis, id quod satis patet ex probationibus praecedentis conclusionis. Dicere autem promissiones Scripturae quod non erret Ecclesia et concilium de quo loquimur esse conditionales certe non est tutum in fide, ne peiorem notam subiungam; oppositum enim sonant aperte loca ipsa Scripturae et ostendimus cum Osio, disputatione praecedenti, causam assignantes<sup>656</sup>, quia scilicet huiusmodi promissiones non tam factae sunt in bonum eorum qui conveniunt in concilium quam in bonum Ecclesiae universalis Sponsae Christi, ut ductrix infallibilis sit et certa fidelium qui intra gremium ipsius sunt salvandi. Praeterea, si sub conditione intelligerentur ex parte nostra non solum ad breve, sed ad longum tempus, imo et in perpetuum posset esse talis error, cum ex Scripturis non constet conditionem solum deesse posse ad breve tempus ex parte nostra aut deficiente conditione ex parte nostra Deum non in perpetuum, sed ad breve tempus, non subventurum Ecclesiae. Quare est incidere in errorem haeticorum

\* 651. C. I. C., c. 11, C. XXXVI, Q. 2: ed. Friedberg, 1, 1291s.

\* 652. C. I. C., c. 8, C. XXXVI, Q. 2: ib., 1291.

\* 653. C. I. C., c. 1, D. XX: ed. Friedberg, 1, 65s. La *Glossa*, puede verse, por ejemplo, en la ed. del *Decretum Gratiani*, Roma 1582, p. 115.

654. CASAL, GASPAS, *Axiomata Christiana ex divinis Scripturis...*, l. 2, a. 3, c. 9: ed. c. (nota 174), ff. 85v-86v.

655. PRIEIRAS, SILVESTRE, *Summa Summarum*, v. *Concilium*: ed. c., p. 151 b; v. *Fides*, q. 2: ib., p. 439 b.

656. Véase la p. 525s.



contententium concilia errare posse in fide. Praeterea, cum saltem absentibus non possit constare utrum Patres in concilio adhibuerint debitam diligentiam circa singulas diffinitiones, certe ambigua essent omnia incertumque esset utrum assistentia Spiritus Sancti essent definita. Quare autoritas conciliorum periret neque satis Christus providisset Ecclesiae suae. Adde quod Christus assistentiam suam promisit Ecclesiae usque ad consummationem saeculi non per intercepta tempora, sed omnibus diebus, ut patet Matthaei 28<sup>657</sup>; [f. 315v] quare non minus repugnat error Ecclesiae per unum diem, quam ad longum tempus. Sciscitandum praeterea esset ab autoribus huius sententiae quantum tempus est illud in quo potest durare error concilii universalis confirmati a Summo Pontifice; nam toto illo tempore tenentur dicere incerta esse Ecclesiae, quae in unoquoque concilio a Summo Pontifice approbato definita sunt. Canus, 5.<sup>o</sup> de locis, cap. 5, q. 3<sup>658</sup> consentit Papam et concilium errare posse si non adhibeant debitam diligentiam; attamen affirmat tenendum esse numquam illam non adhibere quando definiunt, quia hoc ipso quo Christus promisit Ecclesiae assistentiam suam ad non errandum in fide censendum est promisisse non permissurum ut concilium universale et Summus Pontifex non adhibeant debitam diligentiam in rebus fidei definiendis; hoc ipso namque quod promittit finem censendus est promittere necessaria ad finem.

Licet autem hac in parte habenda sit ante oculos divina providentia et assistentia Spiritus Sancti quae regit et gubernat totum corpus Ecclesiae quaeque multa impedit et non permittet, in multis vero illuminavit et adiuvabit Summum Pontificem et concilium, saepe etiam incutiet timorem ne res temere fiant, nihilominus non puto assistentiam Spiritus Sancti in conciliis alligatam esse diligentiae Summi Pontificis et eorum qui conveniunt quasi nihil definiri ibi possit nisi adhibita debita diligentia, aut si aliquid ita ibi definiatur illud non sit certum in fide. Unde dico assistentiam Spiritus Sancti in conciliis et Summo Pontifice esse non ut non committant negligentiam et culpam in examinandis rebus fidei definiendis (quamquam credendum sit valde eos hac in parte a Deo adiuvari raroque aut numquam id contingere), sed ut non errent in diffinitionibus; quare quando error

<sup>†</sup> 657. Mt 28, 20.

658. CANO, *De locis*, l. 5. c. 5. q. 3: ed. Serry c., 1, 350-353.

non est in diffinitione, nullum est inconveniens si Spiritus Sanctus permittat culpam definientium in discutienda re aut etiam vocandis [f. 316r] peritioribus et melioribus hominibus aut etiam in non tam syncera intentione omnium qui intersunt concilio, et nihilominus assistat diffinitioni ut in ea non sit error, sed syncera fides. Si enim lingua Caiphae usus est ad prophetandum in illo pessimo concilio ex parte proferentis<sup>659</sup>, quid mirum est si assistat diffinitioni eorum ne falsa sit, quando enim tantam diligentiam quantam res postulat adhibuerunt, aut qui non tam syncere quam oportebat in concilio se gerunt maxime cum assistentia non tam bonum ipsorum quam totius Ecclesiae prospiciat? Assistentia ergo Spiritus Sancti in concilio ad non errandum in eo cernitur quod numquam permittet definiri aliquid rectae fidei non consonum; vel enim incutiet timorem vel illuminabit plures ut id attendant, vel suscitabit aliquem qui se caeteris opponat et faciat illos desistere aut diligentius rem expendere vel mille modis aliis mutabit corda eorum sicut mutavit cor Balaam ne malediceret filiis Israel<sup>660</sup>, vel certe faciet illos obmutescere; non vero cernitur in eo quod numquam permittat eos non adhibere tantam diligentiam quantam oportet. Cernitur etiam assistentia Spiritus Sancti in conciliis patres illuminando et variis modis movendo ut id intelligant, dicant et velint quod expedit, effectusque huius assistentiae tanto maior est quanto plus se disponunt maioremque ex sua parte adhibent diligentiam purioremque habent intentionem et quanto plus adjuvantur meritis et orationibus totius Ecclesiae.

Ad illud ergo de concilio Aquisgrano, dicendum est neque autoritate et consensu Summi Pontificis id definitum fuisse, ut Turrecremata ait, lib. 3, cap. 38<sup>661</sup>, neque concilium illud generale esse sed provinciale\*; concilia autem provincialia errare posse non est qui dubitet et generalia si non intervenit au[f. 316v]-

g. MS: provincialia.

659. Véase Jr. 11, 51.

660. Cfr. Nm 23 y 24.

661. TORQUEMADA, JUAN DE, *Summa de Ecclesia*, l. 3, c. 38: ed. c., ff. 319-320v. No habla explícitamente del Concilio de Aquisgrán ni del caso del raptó; habla en general, de que el concilio no debe tratar lo que no le ha comisionado el Papa «in provisionibus beneficiorum et dispensationibus et indulgentiis atque correctionibus quorumcumque errantium» (f. 320v).

toritas Summi Pontificis. Episcopus Leriensis loco citato, cap. 7<sup>662</sup> etiam respondet personas illas eo tempore illegitimas fuisse ad contrahendum ex decreto Ecclesiae, sicut modo sunt qui contrahunt clandestine post concilium Tridentinum et sicut sunt consanguinei intra quartum gradum. Id vero confirmat ex decreto concilii Calcedonensi 36, q. 2, cap. De puellis<sup>663</sup>. Adverte etiam auctoritatem illam quam Hieronymus citat eo loco ex Veteri Testamento nihil urgere ut putat glossa citata<sup>664</sup>, quae propter illam auctoritatem affirmat standum esse potius Hieronymo quam concilio Aquisgrano; id enim quod citat Hieronymus ad praecepta iudicialia Veteris Legis spectat quod nullam vim habet in Lege Nova, nisi de novo statuatur, ut patet ex dictis I. II. in materia de Lege Veteri<sup>665</sup>. Illud praeterea adverte: Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 6<sup>666</sup> de reformatione, declarasse inter raptos et raptam nullum posse consistere matrimonium, dum illa in potestate raptoris manet; secus autem si separata et constituta in loco tuto raptorem velit habere virum. Haec de concilio generali cui praest Summus Pontifex aut quod ab eo confirmatum est.

Maius dubium est de concilio generali legitime congregato cui per suos legatos praest Summus Pontifex: utrum legatis consentientibus diffinitionibus errare possit in fide, an vero ut certum sit in fide indigeat confirmatione Summi Pontificis. Turcremata<sup>667</sup>, lib. 3, potissimum cap. 33 et 34; Caietanus<sup>668</sup>, 1.º tomo opusculorum, tractatu 2, p. 2 apologiae cap. 21 ac aliis; Pygius<sup>669</sup>, lib. 6 Hierarchiae, cap. 9; et quidam alii affirmant con-

662. CASAL, GASPAR, *Axiomata Christiana ex divinis Scripturis...*, 1. 2, a. 4, c. 7: ed. c. (nota 174), f. 106r-v.

× 663. *C. I. C.*, c. 4, C. XXXVI, Q. 2: ed. Friedberg, 1, 1290.

× 664. Véase la nota 653.

665. MOLINA, LUIS DE, *Expositiones in I. II. divi Thomae*, q. 103: Cod. c., f. 444r-v.

666. *Concilium Tridentinum*, sess. 24, c. 6: COeD, 758, 15-19.

667. TORQUEMADA, JUAN DE, *Summa de Ecclesia*, l. 3, c. 33 et 34: ed. c., ff. 311v-314v.

668. CAIETANUS, *De comparata auctoritate Papae et Concilii Apologiae Pars II*, c. 21: ed. c., p. 62ss. (En este pasaje habla Cayetano del Concilio sin el Romano Pontífice; pero no hemos podido encontrar ninguna alusión a los legados papales, que es a lo que parece referirse el texto.)

669. PYGIUS, ALBERTO, *Hierarchiae ecclesiasticae assertio*, 1, 6, c. 9: En este capítulo afirma que las decisiones del Concilio han de ser sometidas a la aprobación del Romano Pontífice: «clarissime demonstratum est universalium conciliorum non solum convocationem, sed etiam acta omnia synodalia, omnem definitionem, omne iudicium, auctoritati apostolicae sedis subesse penitus et ab eadem prorsus dependere» (f. 360v).

cilium autoritate Summi Pontificis legitime congregatum praesidentibus legatis Summi Pontificis et consentientibus posse errare in fide, et ob [id] definita in tali concilio non esse certa de fide ante confirmationem Summi Pontificis. Canus<sup>670</sup>, 5 de locis, cap. 5, q. 5 subscribit huic sententiae cum quadam limitatione, quando scilicet non omnes patres concilii conveniunt cum legatis in eadem diffinitione, sed maior pars dumtaxat. Quando enim omnes conveniunt affirmare videtur non posse errare.

Contrariam sententiam tenet Castrus<sup>671</sup>, 1.<sup>o</sup> lib. de iusta haereticorum punitione, cap. 6; Echius<sup>672</sup> et quidam alii, videlicet concilium universale legitime congregatum consentientibus legatis Summi Pontificis in diffinitionibus non posse errare in fide, et ob id certa esse in fide quae in tali concilio definiuntur ante confirmationem Summi Pontificis.

Ut vero sub aliorum iudicio dicam quod sentio id praemitto, quod Canus<sup>670</sup> etiam loco citato praemittit: legatos Summi Pontificis non solere accedere ad concilium nisi instructos de fide Romanae Ecclesiae circa ea quae in concilio discutienda sunt et praescripta a Summo Pontifice cuius locum tenere debent in concilio quid in unaquaque re sequi ac dicere debeant. Quando vero de omnibus instrui non possunt, quia plura sunt tractanda aut aliquid de novo currit discutiendum in concilio, solet certior fieri Summus Pontifex de re quae de novo discutitur, et antequam diffiniatur praescribit legatis quid sequi debeant; et in concilio Tridentino per frequentes nuntios a legatis ad Summum Pontificem et a Summo Pontifice ad legatos missos, factum esse audivimus.

Hoc praehabito, sit 7.<sup>a</sup> conclusio in ordine. Quamvis concilium legitime sit congregatum errare potest in fide Summo Pontifice per se vel per suos legatos non consentiente in diffinitione. Haec ab auctoribus pro utraque parte recipitur, neque de ea fidelis aliquis deberet dubitare. Talis namque diffinitio non est dicenda Ecclesiae, cum ad eam caput praecipuae Ecclesiae pars non concurrat. Defectus inquam tam praecipuae partis cui Deus potissimum promisit assistentiam ad non errandum, et pro cuius fide in rebus diffiniendis [f. 317v] Christus oravit ne deficeret, atque a qua totum corpus Ecclesiae regitur, multum facit ad hoc

670. CANO, *De locis*, l. 5, c. 5, q. 1: ed. Serry c., 1, 337-343.

ut diffinitio reliquorum non dicatur diffinitio Ecclesiae, saltem quatenus Ecclesiae congregatae tribuitur non posse errare; intelligitur enim de Ecclesia non acephala, id est, sine capite. Et confirmatur, quia licet in animalibus defectus quorundam aliorum membrorum non tollat rationem animalis, defectus tamen capitatis tollit, eo quod praecipuum sit membrum a quo caetera pendent, ita in corpore Ecclesiae congregatae ad aliquid definiendum plus facit caput non concurrere ad diffinitionem, quam si plura alia membra non concurrerent. Probatur praeterea conclusio apertissime, quia secunda synodus Ephesina autoritate Leonis Summi Pontificis fuit congregata in eaque praefuerunt legati Summi Pontificis et tamen, ipsis contradicentibus, episcopi fere omnes consenserunt errori Dioscori. Cum ergo synodus illa ex omnium sententia erraverit damnataque sit a concilio Calcedonensi, act. 1.<sup>a</sup> 673 et a Leone I 674, epistola 41 et 49 et a pluribus aliis, fit ut concilium universale legitime congregatum errare possit, Summo Pontifice neque per se neque per legatos suos consentiente in diffinitionibus.

8.<sup>a</sup> conclusio. Concilium legitime congregatum errare potest in fide, si vel legati consentiant diffinitioni contra instructionem et praescriptum Summi Pontificis vel non prius comunicata et ipsis in particulari a Summo Pontifice praescripta; cui credo non repugnaret Castrus, ut patet intuenti dicta ipsius capite illo citato 675. Et probatur primo, quia tali diffinitioni revera non consentit Summus Pontifex, sed vel ei repugnat, ut in primo eventu, vel certe per se ipsum neque mediate neque immediate ei consentit in particulari; diffinitio autem cui in particulari non consentit Summus Pontifex neque est Ecclesiae neque certa de fide, ut patet [f. 318r] ex conclusione praecedenti. Et confirmatur hoc 1.<sup>o</sup>, quia assistentia Spiritus Sancti non est promissa legatis, sed Summo Pontifici, neque pro fide legatorum ut non deficeret oravit Christus, sed pro fide Petri et successorum. Confirmatur 2.<sup>o</sup>, quia, ut loco citato probat optime Castrus, non satis

671. CASTRO, ALFONSO DE, *De iusta haereticorum punitione*, l. 1, c. 6: e. c. (nota 279), a f. 22, col. 1.

672. ECK, JUAN. No hemos logrado encontrar esa afirmación en las obras de Eck.

673. *Concilium Calcedonense*, act. 1: JOVER, *Sanctiones ecclesiasticae*, f. 49v-b.

674. LEO I, *Epistola* 43; 45; 51: PL 54, 824ss; 833; 845. P

675. Véase la nota 671.

est aliquem esse delegatum Summi Pontificis ad diffiniendum an aliquid sit de fide, ad hoc quod ille ita delegatus definierit perinde sit de fide ac si definitum esset a Summo Pontifice; ergo nisi legati Summi Pontificis ex praescripto in particulari Summi Pontificis loquantur, non erit certum quod tunc concilium definierit.

2.º probatur, quia concilium Constantinopolitanum sub Michael imperatore in quo Rodulphus et Summi Pontificis legati Zacharias consenserint Michaeli episcopo contra instructionem et mandata Nicolai, conciliabulum fuit damnatum, ut patet in epistola Nicolai ad Patriarchas Metropolitanos et ad reliquos episcopos<sup>676</sup>. Damnatum etiam fuit in 8.ª synodo, act. 7<sup>677</sup> ab Adriano Papa et reliquis. Praeterea, in 6 synodo, act. 4<sup>678</sup> in Bulla quadam, ita inquit Agatho Summus Pontifex: auctoritatem eis legatis scilicet dedimus in quantum eis dumtaxat iniunctum est ut nihil praesumant augere, minuere vel mutare, sed traditionem huius apostolicae sedis sincere enarrare. Et Leo I, epistola 43<sup>679</sup> ad Pulcheriam Augustam: Lucentium, inquit, episcopum et Basilium praesbiterum, [fratres meos,] dirigere properavit, qui diffinitiones meas [...] secundum eas quas acceperunt regulas exequantur. Ex quibus omnibus et aliis similibus patet legatos in conciliis eatenus sustinere personam Summi Pontificis, diffinitionesque eorum esse vere diffinitiones Summi Pontificis, quatenus secundum instructionem Summi Pontificis loquuntur et si eam transgre[f. 318v]diantur aut aliquid definiant quod in particulari a Summo Pontifice derivatum non sit posse errare. His accedit quod Iulianus legatus Summi Pontificis diffinitionibus concilii Basiliensis consensit; nemo tamen censet eum haeticum qui diffinitiones illas quibus numquam Summus Pontifex aliquis consensit in particulari et quas numquam Summi Pontifices voluerunt confirmare, non admitat tamquam certas in fide.

676. NICOLAUS I, *Epistola ad Patriarchas, Metropolitanos...*: JOVER, *Sanctiones ecclesiasticae...*, tertia classis, ...continens Decreta Pontificum, f. 184, col. 4-185, col. 2. P

C 677. *Concilium Constantinopolitanum IV*, act. 7: Véase en CARRANZA, *Summa Conciliorum*, ed. c., p. 542s.

C 678. *Concilium Constantinopolitanum III*, act. 4: Mansi, 11, 235 E-238 A.

679. LEO I, *Epistola ad Pulcheriam Augustam*, 84 (a. 64): PL 54, 921 B; ed. Schwartz, ACO, 2/4, 43, 24-26; 14, 25-26. P

9.<sup>a</sup> conclusio. Concilium universale legitime congregatum consentientibus legatis Sedis Apostolicae diffinitionibus secundum particularem instructionem et ordinationem Summi Pontificis errare non potest in fide; pervenientibus autem diffinitionibus ad Summum Pontificem ipsoque non reclamante, censendum est legatos instructionem Summi Pontificis in particulari non fuisse transgressos et subinde diffinitiones certas esse in fide. Ad maiorem tamen securitatem et auctoritatem optimo iure concilia universalis quibus non praeest per se ipsum Summus Pontifex petere solent confirmationem a Summo Pontifice Summusque Pontifex solet illa confirmare. Confirmationem petivit et obtinuit primum concilium Nicaenum a Sylvestro et idem fecerunt postea alia concilia ab aliis Summis Pontificibus, ut patet ex epistolis hac de re conciliorum ad Summos Pontifices, et Summorum Pontificum ad concilia et imperatores, quas referunt Canus, Turrecremata et Castrus locis citatis<sup>680</sup>, sed copiosius Castrus, et certe sollicitudo et consuetudo haec conciliorum et Summorum Pontificum confirmat praecedentem octavam conclusionem. Nona haec conclusio probatur, quia ad huiusmodi diffinitiones in particulari concurrunt Summus Pontifex cum reliqua Ecclesia, quandoquidem legati in persona Summi Pontificis et secundum instructionem et praescriptum particulare illius diffiniunt; ergo sunt diffinitiones totius Ecclesiae legitime [f. 319r] congregatae concurrente capite, et perinde certa in fide. Unde Leo I<sup>681</sup> epistola 2 ad Pulcheriam Augustam: in his quoque fratribus meis quos vice mea misi me quoque adesse existima; et epistola 45<sup>682</sup>: in his fratribus meis me synodo existimate praesidere.

2.<sup>o</sup> probatur conclusio, in Concilio Florentino, in instructione Armenorum<sup>683</sup> iubentur<sup>h</sup> Armeni libenter suscipere omnes synodos universales legitime celebratos. Concilium vero universale in quo praesident legati Summi Pontificis, neque instructionem et praescriptum illius in particulari transgrediuntur, procul dubio legitime celebratum est. Et confirmatur, quoniam si res ita defi-

h. MS: iubenter.

Canus / Torq / Castro

680. Véanse las notas 670, 671 y 667.

681. LEO I, *Epistola ad Pulcheriam Augustam* 31 (a. 27): PL 54, 796 A. P P

682. LEO I, *Epistola ad Marcianum Augustum*, c. 2: PL 54, 934 A; ed. Schwartz, ACO, 2/4, 48, 29-32.

683. *Concilium Florentinum*, *Instructio Armenorum*: COeD, 540, 15-21.

nitae non essent certae de fide, tunc in sola confirmatione horum conciliorum et non in conciliis esset assistentia Spiritus Sancti ad non errandum; in diffinitionibus vero conciliorum universalium, qua diffinitiones conciliorum sunt, consuevit dici esse assistentiam infallibilem Spiritus Sancti.

3.º, quia Tridentina synodus, quae postea a Summo Pontifice confirmata est, ante confirmationem erat universalis et in Spiritu Sancto legitime congregata, ut habetur 1.<sup>a</sup>, 3, 5, 6 sessione<sup>684</sup> ipsius ac alibi saepe; esse autem in Spiritu Sancto legitime congregatam non video esse aliud quam esse talem ut assistentiam Spiritus Sancti ad non errandum habeat; ergo concilium universale in quo legati non transgrediuntur instructionem et praescriptum Summi Pontificis in particulari errare non potest in fide. Et confirmatur ex capite Regula, 17 d.<sup>685</sup> ubi Iulius ad episcopos orientales ait: regula vestra illas habet vires quando Romanae Ecclesiae legatus non interfuit; censet ergo praesente legato neque transgrediente instructionem in particulari habere vires.

Hoc loco adverte in decreto Eugenii IV<sup>686</sup> super unionem Iacobitarum in fine Concilii Florentini non haberi: suscipit [f. 319v] Sancta Romana Ecclesia omnes universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas, celebratas et confirmatas, ut notat Canus, 5 de locis, cap. 4, conc. 2<sup>687</sup>, sed solum ibi praecipit Iacobitis ut recipiant omnes universales synodos auctoritate Summi Pontificis legitime congregatas. Non etiam colligitur ex Gelasio, in lib. de vinculis anathematis<sup>688</sup>, requiri confirmationem Summi Pontificis, ut concilium generale non possit errare quamvis quaedam verba illius id primo aspectu videantur significare.

Dubium occurrit hoc loco, utrum episcopi in concilio iudices sint an vero consilarii solum Summi Pontificis; ex septima enim et octava conclusione sequi videtur esse dumtaxat consiliarios, sententiamque ad solum Summum Pontificem pertinere; quid-

684. *Concilium Tridentinum*, sess. 1, 3, 5 et 6: COeD, 662, 3-4; 663, 15-16; 671, 6-7; 684, 7.

685. *C. I. C.*, c. 2, D. XVII: ed. Friedberg, 1, 51.

686. *Concilium Florentinum*, Decretum pro Iacobitis: COeD, 580, 39-43. El Decreto dice: «Amplectitur etiam, approbat et suscipit omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas ac celebratas et confirmatas».

687. *CANO. De locis*, l. 5, c. 4, concl. 2: ed. Serry c., 1, 327.

688. *GELASIUS. I. Tomus anathematis vinculo*: Mansi 8, 88-95. P



quid enim illi statuatur, nisi idem definiat Summus Pontifex, non est firmum et certum, cum tamen quidquid solus Summus Pontifex definierit firmum et certum sit. Respondetur tamen esse revera iudices simul cum Summo Pontifice, ut satis patet ex dictis conclusione tertia; idemque affirmat Canus, 5 de locis, cap. 5 q. 2<sup>689</sup>, Sotus, in 4, d. 20, q. 2, art. 4 ad 2<sup>690</sup>; et alii plerique. Et confirmatur 1.º, quia si episcopi solum essent consiliarii in concilio non magis ad ipsos pertineret diffinitio quam ad quoscunque alios viros doctos; imo si qui essent minus docti inter illos, illis praeferendi essent Theologi docti, quod est contra antiquissimum et receptissimum usum Ecclesiae quod soli episcopi definiant in conciliis, ut conclusione tertia diffinitum est. Non ergo sunt solum consiliarii.

2.º, quia in conciliis Patres tamquam iudices loquuntur et subscribunt sententiis et non solus Summus [f. 320r] Pontifex; in concilio Nicaeno, cap. 3<sup>691</sup>, habetur: interdicat per omnia magna synodus; et in 6 synodo, act. 5<sup>692</sup>: anathematizamus, inquit synodus, Theodorum Sergium etc.; et infra: his omnibus a sancto hoc concilio constitutis et per subscriptionem nostram fortitudinis sancimus etc.; et in concilio Tridentino, sess. 4, 13<sup>693</sup> et plerisque aliis, saepe habetur: sancta synodus statuit, declarat, praecipit etc. Synodus autem non est solum Summus Pontifex, ut capite Nimis, de iure iurando<sup>694</sup> habetur: Sacri autoritate concilii prohibemus; et cap. Scelus, 2 q. 1<sup>695</sup>: decernente nobiscum sancta synodo; et Patres in Niceno concilio<sup>696</sup> a Sylvestro petunt ut quidquid constituerunt confirmet; et Calcedonense concilium ad Leonem<sup>697</sup>: decretis tuis nostrum honora iudicium.

Pro solutione vero eius quod obiciebatur, advertite hoc interesse inter decreta Summi Pontificis sine concilio et inter decreta

689. CANO, *De locis*, l. 5, c. 5, q. 2: ed. Serry c., 1, 343-347.

690. SOTO, DOMINGO, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum tomus primus*, d. 20, q. 1, a. 4 ad 2: ed. c., 945 a.

691. *Concilium Nicaenum*. COeD, 7, 10-11.

692. *Concilium Constantinopolitanum III*, act. 8: JOYER, o. c., f. 73 a-b collato cum f. 88v a. Las palabras son: «Et omnes qui docuerunt et dicunt unam voluntatem et unam operationem duabus naturis unius Domini nostri Jesuchristi veri Dei nostri, anathematizamus».

693. *Concilium Tridentinum*, sess. 4, decr. 1: COeD, 664, 25.

694. C. I. C., c. 30, X, de iureiurando, I, 24: ed. Friedberg, 2, 372.

695. C. I. C., c. 21, C. II, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 449.

696. *Concilium Nicenum*, Epistola ad Sylvestrum papam: Mansi 2, 719 C-D.

697. *Concilium Calcedonense*, act. 3: Schwartz, ACO, 3/2, [354] 95, 28.

concilii universalis: quod decreta Summi Pontificis sine concilio sunt decreta non Ecclesiae universalis, sed capitis Ecclesiae universalis; decreta vero concilii sunt decreta Ecclesiae universalis. Quia ergo decreta ad quae caput et praecipua pars Ecclesiae non concurrunt non censentur decreta Ecclesiae universalis, neque habent certitudinem et firmitatem propter ea quae conclusione septima dicta sunt, fit ut quidquid episcopi definiant non concurrente Summo Pontifice non dicatur decretum Ecclesiae, neque firmum sit in fide; quia etiam ut aliquid sit decretum Ecclesiae universalis et concilii non satis est quod concurrat ad diffinitionem Summus Pontifex, sed requiritur quod simul cum eo saltem maior pars concilii et Ecclesiae congregatae concurrat et consentiat, fit ut ad rationem decreti concilii atque Ecclesiae universalis requiratur ut cum Summo Pontifice saltem maior pars episcoporum concurrat tamquam iudices et definitores. Quare cum in conciliis universalibus non intendantur decreta solius capitis sed Ecclesiae, fit ut in illis nihil definiatur nisi iudicante illud maiori parte episcoporum una cum Summo Pontifice. Quo fit ut ad diffinitionem concilii universalis assistentia Spiritus Sancti requiratur non solum ex parte [f. 320v] Summi Pontificis, sed etiam episcoporum seu concilii. Quia tamen praecipua pars in conciliis definiens est Summus Pontifex, quo non consentiente, quidquid caeteri diffiniunt certum et firmum non est. Unde fit ut decreta conciliorum saepe sibi tribuant Summi Pontifices, sacro approbante concilio, ut in aliquibus textibus in iure pontificio patet.

Hic discutiendum est quando in conciliis censendum esset diffinitionem esse de fide, et quando non. Id tamen commodius fiet inferius postquam disputatum fuerit utrum Summus Pontifex in definiendo errare posset in fide; tunc enim de decretis Summorum Pontificum et conciliorum id simul discutietur.

**Quae concilia universalia inter fideles  
sint auctoritatis indubitatae,  
et quae sine controversia explorantur,  
et de quibus sit aliqua controversia.**

#### Disputatio 10.

In primis, sine controversia inter fideles, indubitatae auctoritatis sunt octo illae synodi generales in Graecia celebratae qua-

rum meminit Gratianus, d. 17<sup>ens</sup>. Primum, Concilium Nicenum primum tempore Sylvestri et Constantini magni, 318 episcoporum, anno Domini 325<sup>i</sup>. Secundo, concilium Constantinopolitanum I sub Damaso et Gratiano ac Theodosio, 150 episcoporum adversus Macedonium negantem Spiritum Sanctum esse Deum, anno Domini 381<sup>j</sup>. 3.<sup>o</sup>, Ephesinum I sub Celestino I et Theodosio iuniore, 200 episcoporum adversus Nestorium ponentem in Christo duas personas, anno 431<sup>k</sup>. 4.<sup>o</sup>, Calcedonense, sub Leone I et Marciano, 630 episcoporum adversus Euthichem et Dioscorum asserentes in Christo unam tantum fuisse naturam, anno 453<sup>l</sup>. 5.<sup>o</sup>, Constantinopolitanum II, sub Agapeto et Iustiniano, 165 episcoporum, adversus Petrum episcopum antiochenum affirmantem Trinitatem fuisse crucifixam, Antimum et alios negantes Mariam Dei Genitricem fuisse, anno 553. 6.<sup>o</sup>, Constantinopolitanum III sub Agathone et Constantino IV, adversus Sergium et quos [f. 321r]-dam alios negantes in Christo duas voluntates divinam et humanam anno 680<sup>m</sup>. 7.<sup>o</sup>, Nicaenum II, sub Adriano I et Constantino filio Helenae, 366 episcoporum adversus iconomachos, id est, imaginum subversores, anno 787<sup>n</sup>. 8.<sup>o</sup>, Constantinopolitanum IV, sub Adriano II et Basilio imperatore, 105 episcoporum, anno 869<sup>o</sup>. In ea depositus fuit Phocius et restitutus sanctissimus Ignatius constantinopolitanae sedi.

Post haec octo concilia, reliqua universalia quae indubitata sunt autoritate inter fideles, in Occidente celebrata sunt, videlicet Lateranense IV<sup>o</sup>, sub Innocentio III, cui interfuerunt Hieropolitanus et Constantinopolitanus Patriarchae et plurimi episcopi graeci et latini anno 1215. Lugdunense, sub Gregorio X. Viennese, sub Clemente V. Constantiense quoad ea quae a Martino V celebrata sunt et confirmata ut postea videbimus. Florentinum, sub Eugenio IV in quo Graeci cum Latinis convenerunt et a Graecis concilium hoc synodus octava generalis appellatur. Illi nam-

- 
- i. MS: 300.
  - j. MS: 388.
  - k. MS: 468.
  - l. MS: 450.
  - m. MS: 674.
  - n. MS: 781.
  - o. MS: 875.
  - p. MS: 2.

que octavam in qua depositus fuit Photius non recipiunt. Lateranense ultimum sub Iulio II et Leone X. Et novissimum omnium Tridentinum.

Ioverius in sua Summa<sup>689</sup>, in indice conciliorum connumerat tamquam concilium generale Lateranense I, sub Alexandro III. Non tamen fuit generale, ut Covarrubias ait primo lib. Variarum resolutionum, cap. 27, n. 5 § Et dubio procul.<sup>700</sup> Covarrubias, ibidem, arbitratur concilium Lateranense sub Martino I fuisse generale. At neque ut tale in tomis conciliorum refertur neque generale in ea significatione de qua loquimur a doctoribus appellari solet. Sardicense concilium licet ad illud convenerint 300 occidentales episcopi et 76 orientales, quia tamen ab occidentalibus discesserunt orientales, quod occidentales noluerint expellere a Concilio defensores Athanasii, ut petebant orientales, non consuevit appellari concilium generale. Vide Socratem, lib. 2, Ecclesiasticae historiae, cap. 20<sup>701</sup>. Concilii generalis Senensis mentio fit in concilio [f. 321v] Basiliensi, sess. 2<sup>702</sup> et in Lateranensi ultimo, sess. 11<sup>703</sup>. Non tamen reperitur in tomis conciliorum neque videtur fuisse finitum.

Concilia generalia quae apud catholicos absque controversia nullius unquam fuerunt autoritatis sunt Ariminense tempore Athanasii, Ephesinum II et Constantinopolitanum sub Michaele imperatore toties quoties fuit congregatum, idque propter rationes disputatione praecedenti explicatas.

Quod attinet ad concilia universalia de quibus est controversia an sint legitimae autoritatis, primo loco occurrit ea pars sextae synodi quae Trullana synodus nuncupatur et secundo loco facta. Cum enim neque in quinta synodo neque in sexta, quae sub Constantino IV celebrata est, canones constituissent patres ad regimen Ecclesiarum, iterum post aliquot annos convenerunt tempore Iustiniani ut ederent canones pro quinta et sexta synodis et de hac

689. JOVER, FRANCISCO, *Sanctiones Ecclesiasticae... Classis prima*, ed. c. (Paris 1555) s. F. estas páginas de índices.

700. COVARRUBIAS, DIEGO DE, *Variarum Resolutionum... l. 1*, c. 21, n. 5: ed. Ginebra 1762, f. 112v d.

701. SÓCRATES, *Ecclesiastica Historia*, l. 2, c. 20: PG 67, 236s. ?

702. *Concilium Basiliense*, sess. 2: COeD, 457, 8-9.

703. *Concilium Lateranense V*, sess. 11: Super abrogatione Pragmaticae sanctionis: COeD, 642, 32-34.

parte sextae synodi sub Iustiniano celebrata Constantinopoli in Trullo, palatio imperatoris, controvertitur utrum sit legitimae autoritatis. Canus, 5.<sup>o</sup> De locis, cap. ultimo ad 6<sup>704</sup>, et plures alii quos citat affirmant non esse indubitatae autoritatis tum ob alia motiva non contemnenda, tum vel maxime quod non est verisimile interfuisse ibi legatos Summi Pontificis, ut patet ex his quae subscripserunt in ea synodo, inter quos neque illi qui antea fuerant legati Summi Pontificis in sexta synodo sub Constantino inveniuntur subscripsisse, quos verisimile est longe ante discessisse, neque aliqui alii qui de novo fuerint missi aut ut tales ibi nominentur. Quare cum concilium sine Summo Pontifice aut legatis ipsius errare possit, ut ex dictis disputatione praecedenti patet, qui inquirunt ut concilium illud non sit irrefragabilis autoritatis tametsi tamquam concilium tot patrum nulla sinistra intentione (ut videtur) convenientium nonnulla polleat autoritate et ob id non sit mirum si in aliquibus conciliis posterioribus citati sint aliqui ex illis canonibus in [f. 322r] quibus nullus erat error ad confirmationem alicuius rei. Vide alia motiva apud Canum<sup>705</sup>. Alii contendunt esse irrefragabilis autoritatis asseruntque etiam pro hac parte motiva quaedam non contemnenda; quia tamen res haec paucis examinari non potest neque id modo vacat, alii iudicium et copiosorem de hac re disputationem relinquo. De canonibus apostolorum qui in eadem Trullana synodo recipiuntur aliquid dicimus art. 1, disp. 7, parte 5 ad secundam confirmationem secundi argumenti<sup>706</sup>.

Secundum dubium est de concilio Constantiensi, an quoad omnia legitimae sit autoritatis. Sunt qui teneant partem affirmativam. Respondeo nihilominus aliquibus propositionibus:

Prima est: concilium illud legitime fuit congregatum tempore illius schismatis inter Ioannem XXIII, Benedictum XIII et Gregorium XII qui tres Summos Pontifices se nuncupabant et singuli habebant aliquos qui ipsis tamquam Summis Pontificibus obedirent: imo esto autoritate Ioannis XXIII non fuisse inchoatum ut fuit, sed episcopi per se ipsos convenissent aut vocati a rege romanorum Segismundo qui ibi interfuit et optime meritus fuit in eo concilio de Ecclesia, concilium fuisse legitimum ad iudi-

704. CANO, *De locis*, l. 5, c. ult. ad 6: ed. Serry c., 1, 377-385.

705. Véase la nota precedente.

706. Véase ArchTeolGran 40 (1977) 148ss [100ss].

candum in causa illa schismatis et declarandum aut constituendum verum et Summum Pontificem atque ad omnia quae ad id spectabant aut necessaria erant. Haec patet ex dictis disputatione praecedenti, conclusione 2. Quare processus illius concilii adversus Summos Pontifices qui rebelles fuerunt et vel fugerunt vel comparere noluerunt, legitimi fuerunt, electioque Martini V in fine illius concilii renuntiante prius Gregorio XII et depositis aliis duobus, legitima fuit.

2.<sup>a</sup> propositio. Statuta illorum patrum ad fidem et ad mores pertinentia ante electionem aut declarationem veri Summi [f. 322v] Pontificis non fuerunt indubitata et certae autoritatis, nisi quatenus postea confirmata sunt a Martino V, vero Summo Pontifice, ibi in fine concilii electo et eadem ratione quae de potestate illius concilii ad reformandum Summum Pontificem in primis sessionibus saepe protulerunt, non sint certa, quandoquidem neque a Martino V neque ab alio Summo Pontifice confirmata sunt. Haec etiam patet ex dictis disputatione praecedenti conclusione 2, 7 et 8. Concilium namque ita congregatum ante electionem aut declarationem veri Summi Pontificis non habet autoritatem ad haec definiendum; sed patres illi moti excessibus plurium Summorum Pontificum tempore illius longissimi schismatis quod fere per quadraginta annos afflixit et scandalizavit Ecclesiam, in eam sententiam videntur inclinasse quos postea sequuti sunt patres in concilio Basiliensi, numquam tamen id autoritate alicuius Summi Pontificis vel definitum aliquando vel confirmatum fuit.

3.<sup>a</sup> propositio. Ex concilio Constantiensi solum illa sunt indubitatae autoritatis quae in materia fidei adversus haereticos Wiclephitas, Ioannem Hus et Hieronymum de Praga<sup>q</sup> aut quemcumque alium definita sunt. In hac conclusione nobiscum conveniunt Canus, 5 De locis, cap. ultimo ad 8<sup>707</sup>; Turrecremata, 2 lib., cap. 99<sup>708</sup>; Caietanus, 1 tomo opusculorum, tractatu 1, cap. 8<sup>709</sup>; Carranza, in sua Summa, in fine concilii Basiliensis<sup>710</sup>;

q. MS: Plaga.

707. CANO, *De locis*, l. 5, c. ult. ad 8: ed. Serry c., 1, 386s.

708. TORQUEMADA, JUAN DE, *Summa de Ecclesia*, l. 2, c. 99: ed. c., f. 237r.

709. CAIETANUS, *De comparatione autoritatis Papae et Concilii*, c. 11: ed. c. Opusculorum, t. 1, tr. 1: pp. 16 a-17 b. Cfr. *De comparata autoritate Papae et Concilii Apologiae pars secunda*, c. 11: ib., tr. 3, pp. 39 b-40 a.

710. CARRANZA, BARTOLOMÉ DE, *Summa Conciliorum*: ed. c., p. 607.

et plures alii. Probat, quia illa tantum approbavit Martinus V, sess. ultima et in bulla ibi promulgata<sup>711</sup>. Quando autem Martinus V in bulla ait concilium Constantiense universale esse et Ecclesiam universalem repraesentare intelligit post electum Summum Pontificem repraesentare Ecclesiam universalem quoad corpus et caput; antea autem quoad corpus solum, cum incertum esset verum caput, neque ibi interfuerit praeses concilii aliquis qui personam Summi Pontificis ea in parte sustineret. Denique quando [f. 323r] inquit diffinitum in eodem concilio adversus haereticos esse certa et firma, intelligit post ipsius confirmationem.

De concilio Pisano, quod Constantiense praecessit et vigente schismate fuit celebratum, neque absolutum, non est quod quis dubitet conciliabulum fuisse nulliusque esse autoritatis, cum in concilio Lateranensi sub Iulio, sess. 2<sup>712</sup>, in bulla Iulii II damnatum fuerit; unde in tomis conciliorum non circumfertur.

Ultimo dubitatur de concilio Basiliensi, an legitimae sit autoritatis? Ad quod ita respondetur: licet concilium illud tempore primae et secundae sessionis legitime fuerit congregatum, ut Eugenius IV in quadam bulla sessionis 16 affirmat<sup>713</sup>, continuatio tamen illius concilii contra decretum et voluntatem Summi Pontificis legitima non fuit. Unde Leo X in concilio Lateranensi ultimo, sess. 11<sup>714</sup>, in schedula revocationis pragmaticae sanctionis, sacro approbante concilio, illud appellat conciliabulum et damnat. Adde neque indubitatae autoritatis esse quae in prima et secunda sessione diffinita sunt, quoniam numquam confirmata fuerunt a Summo Pontifice neque ex praescripto Summi Pontificis videntur definita, cum in secunda sessione diffinitum sit concilium esse supra Papam, cui diffinitioni merito repugnat Eugenius IV in ultima bulla sessionis 16<sup>715</sup>. Nobiscum consentiunt Canus, loco citato, ad 9<sup>716</sup>; Turrecermata, lib. 2, cap. 100<sup>717</sup>.

711. Cfr. DS<sup>24</sup> 1247-1248.

C 712. *Concilium Lateranense V*, sess. 2: COeD, 595s.

713. *Eugenius IV, Bulla «Dudum Sacrum»*: Harduin, *Acta Conciliorum*, p. t. 8, col. 1172 D-1173 A.

C 714. *Concilium Lateranense V*, sess. 11: Super abrogatione Pragmaticae sanctionis: COeD, 642, 15-19; 643, 18-32.

715. Véase la nota 713.

716. *CANUS, De locis*, l. 5, c. ult. ad 9: ed. Serry c., 1, 389.

717. *TORQUEMADA, JUAN DE, Summa de Ecclesia*, l. 2, c. 100: ed. c., f. 239v.

**Utrum Summus Pontifex in quantum doctor  
et persona particularis errare possit in fide.**

**Disputatio 11.**

Disputavimus de autoritate Ecclesiae conciliivae universalis in definiendis rebus fidei. Proximum est ut de autoritate capitis Ecclesiae in eisdem rebus diffiniendis dicamus. Atque [f. 323v] ut altius principium sumamus, nonnulla prius discutienda sunt.

Primum est, utrum Summus Pontifex, si non quatenus Summus Pontifex est, quatenus scilicet ex cathedra Petri docet, diffiniens ac proponens aliquid credendum Ecclesiae, errare non possit in fide, saltem errare possit esseque haereticus quatenus docet aut loquitur tamquam persona doctorve particularis. Exemplum habemus accommodatum in Innocentio IV, qui Summus Pontifex existens commentaria edidit in libros Decretalium non tamquam Summus Pontifex, sed tamquam quivis alius doctor particularis ut ipsemet interrogatus testatus est. Petimus ergo utrum in illis errare potuerit in fide; et quod plus est, utrum in illis aut quovis alio modo loquendo aut sentiendo tamquam persona particularis poterit esse haereticus. Albertus Pygius, lib. 4 Hierarchiae, cap. 8<sup>718</sup>, affirmat Summos Pontifices nullo modo incidere posse in haeresim, haeticosve esse, idque habere ex promissione Christi assistentiaque Spiritus Sancti, hoc ipso quod successores Petri sint pastoresque Ecclesiae universalis.

Sit nihilominus haec conclusio: Licet Summi Pontifices ratione status et dignitatis qua praesunt toti Ecclesiae, ratione cuius tota Ecclesia tenetur sequi definitiones eorum in causa fidei, maiora auxilia videantur habere ad non errandum in fide quatenus personae particulares sunt quam reliqui, et ob id credendum sit raro aut numquam aliquem eorum pertinaciter errasse aut erraturum fore in fide, nihilominus non repugnat aliquem eorum tamquam personam particularem errare in fide non solum sine pertinacia, sed etiam cum pertinacia ut vere sit haereticus. Prior pars huius conclusionis satis consona est lumini naturali et providentiae atque consuetudini divinae quae innotescit ex

718. PYGIUS, ALBERTO, *Hierarchiae Ecclesiasticae assertio*, l. 4, c. 8: e. c., ff. 200r-202v.



Scripturis. Quo enim Deus eligit aliquem in altius munus atque in bonum commune Ecclesiae eo plus gratiae et auxiliorum illi tribuit quae illum idoneum reddant ad tale munus exequendum. Quare cum firmitas in fide maxime necessaria sit in eo quem alii in diffinitionibus fidei sequi tenentur tanquam pastorem suum et vicarium Christi ac fidei protectorem et doctorem, fit ut ad id abundantiora accipiat auxilia [f. 324r] quam alii. Posterior vero pars communis est inter theologos et iuris pontificii peritos, ut loco citato fatetur Pygius<sup>718</sup>. Et probatur, quia non legimus in Scripturis Sanctis assistentiam Spiritus Sancti concessam esse Summis Pontificibus ad non errandum in fide quatenus personae sunt particulares, neque illa necessaria est ad confirmationem fidei Ecclesiae, sed satis est quod quatenus docet ex cathedra Petri et aliquid definiunt aut proponunt credendum Ecclesiae eam habeant; quandoquidem Ecclesia non tenetur eos sequi quatenus personae sunt particulares, sed solum quatenus docent et definiunt ex cathedra Petri. Cum ergo Deus ut non deest in necessariis, ita conferre non soleat superflua, sed relinquat homines in manu consilii sui, fit ut Summi Pontifices quatenus personae particulares assistentiam Spiritus Sancti non habeant ad infallibiliter non errandum in fide.

2.<sup>o</sup> probatur eadem pars conclusionis, quia cap. Si Papa, 40 d.<sup>719</sup>, asseritur Papam propter haeresim deponi posse a papatu; si autem nec ut persona particularis errare posset in fide, certe numquam id diffiniretur.

Contra hanc posteriorem partem conclusionis sunt multa argumenta quae quoniam minimo negotio solvuntur adhibita illa distinctione de Summo Pontifice in quantum docet et diffinit ut Summus Pontifex ex cathedra Petri. et in quantum loquitur aut sentit ut doctor aut persona particularis. et negando Deum aliquando sua providentia et assistentia permissurum ut aliquis Summus Pontifex haereticus factus aliquid diffiniat aut dicat iuxta suum errorem ex cathedra Petri. quandoquidem id repugnat promissioni Christi. Deoque non sit impossibile id impedire, providente ut vel prius deponatur a Summo Pontificatu quam id efficiat, vel incutiente illi timorem, vel certe faciente illum

719. C. I. C., c. 6, D. XL: ed. Friedberg, 1, 146.

obmutescere si velit aliquid simile diffinire. Ideo, silentio illa praetermitto.

Argumentantur praeterea quidam ex illo Matthaei 16<sup>720</sup>: [f. 324v] *Tu es Petrus et super hanc petram, firmam in fide, te scilicet et successores tuos, aedificabo Ecclesiam meam*; tum etiam ex illo Lucae 22<sup>721</sup>: *ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, quod de successoribus etiam intelligitur. Sed respondetur, quod promissiones illae et firmitates intelliguntur quatenus pastores et capita sunt Ecclesiae, et de fide quam ex cathedra essent docturi; ad id enim in Petro tam Petrus quam successores firmitatem acceperunt per assistentiam Spiritus Sancti illis promissam.

Praeterea argumentantur ex Augustino et pluribus aliis qui ex eo probant fidem Ecclesiae Romanae esse veram fidem quod inter Summos Pontifices Romanos nullus fuerit haereticus, ut in superioribus visum est<sup>722</sup>. Sed respondendum est Augustinum et alios Patres, ex continuatione verae fidei in Ecclesia Romana per Summos Pontifices usque ad tempora Apostolorum, probare in Ecclesia Romana esse veram fidem, non quod arbitrarentur impossibile aliquem Summum Pontificem Romanum esse posse vel ad breve tempus haereticum, sed quod nullus usque ad illud tempus fuerit, et ita in illis fuerit continuata. Quod si aliquis eorum ad breve tempus fuisset haereticus, statimque fuisset depositus aut ei restitisset Ecclesia Romana, tunc etiam ex continuatione verae fidei in Ecclesia Romana usque ad tempus apostolorum probaretur veritas fidei eiusdem Ecclesiae, esto ad breve tempus lapsus esset aliquis Pontifex.

Denique argumentantur ex illo Aristotelis<sup>723</sup>: rectum est regula aliorum, unde volunt Summum Pontificem regulam esse sui et aliorum. Si ergo, inquit, Summus Pontifex, ut regula aliorum deviare non potest a vera fide, neque ut regula sui deviare poterit, ac proinde neque ut privata persona. Ad hoc respondetur, quod licet Summus Pontifex per diffinitiones in rebus fidei ex cathedra Petri ut est regula aliorum ita sit regula sui, et ob id quemadmodum alii in eo quod sequuntur tales diffinitiones errare non possunt, ita ipse in eo quod ea sequatur errare [f. 325r] non po-

↑ 720. Mt. 16, 18.

↑ 721. Lc 22,32.

↑ 722. Véanse la p. 230s y nota 544.

test; attamen quemadmodum alii proponere possunt sibi alias regulas aut doctrinam et illam sequendo errare in fide, ita ipse per suum liberum arbitrium sequi potest aliam doctrinam ab eo quam docet ex cathedra Petri, et ita errare in fide.

**Utrum ex Summis Pontificibus aliquis  
haereticus hactenus fuerit.**

**Disputatio 12.**

Haeretici quo cathedrae Petri auctoritatem minuant, aliquibus ex Summis Pontificibus haereseos notam inurere conati sunt; eos tamen immunes ab eo crimine omnes invenies fuisse commentaque fuisse fere omnia quae illis obiciuntur, ostendunt Albertus Pygius, 4 lib. Hierarchiae, cap. 8<sup>724</sup>; et Osius lib. 2 contra Brentium<sup>725</sup>, fol. 175.

In primis, haeretici B. Marcellinum martyrem haeticum fuisse contendunt, quod metu mortis thura idolis imposuerit, ut habet notissima illius historia. Attamen illum interius non deseruisse fidem ac proinde non fuisse haeticum, sed solum defecisse in exteriori confessione fidei ex ipsamet historia constat; peccatum vero illud quo et Deum offendit et Ecclesiam scandalizavit satis postea diluit lacrymis et poenitentia et sua sponte se offerendo martyrio gloriosaque sua confessione et morte.

Deinde Anastasium II contendunt fuisse haeticum, quod Gratianus, cap. Anastasius, 19 d. et capite Dictum est 1, q. 1<sup>726</sup> affirmet illum haeticum fuisse et a Deo fuisse percussum quod faveret Achatio haetico. conatusque fuerit eum ab exilio revocare. Hanc autem historiam fabulam esse ex eo patet quod prius mortuus fuerit Achatius quam Anastasius II creatus fuerit Papa,

723. La cita pudo tomarla Molina le CANO. De locis. l. 6, c. 8 ad 11 (ed. c., 1, 448). Cano no da ninguna referencia concreta, sino que, como Molina, lo afirma: «Rectum enim est regula sui et obliqui, ut Aristoteles docet...». No nos ha sido posible encontrar el texto aristotélico.

724. PIGHIUS, ALBERTO. *Hierarchiae ecclesiasticae assertio*, l. 4, c. 8: ed. c., ff. 202v-211r.

725. HOSIUS, ESTANISLAO. *Confutatio prolegomenon Brentii*, l. 2: ed. c., f. 225s.

726. C. I. C., c. 9, D. XIX: ed. Friedberg, l. 64; c. 105, C. I., Q. 1: ib., 399s.

de Caus?

ut late ostendit Covarruvias, 4 lib. *Variarum resolutionum*, cap. 23<sup>727</sup>. Praeterea, quia extat epistola decretalis Anastasii II ad Anastasium Augustum qui eodem tempore imperavit (cuius partem catholicissimam retulit et tamquam non catholicam impugnavit Gratianus, cap. 2<sup>m</sup>, 19 d. et capite Dictum est 1 q. 1<sup>728</sup>) in qua defunctum Achatium damnat et orationes pro illo fieri nomenque illius nominari prohibet. Quam parum autem [f. 325v] in huiusmodi historiis fidendum sit Gratiano ostendunt Osius, Pygius et Covarrubias locis citatis<sup>729</sup>.

3.º contendunt Liberium haereticum fuisse, quod Hieronymus in adiectione ad chronicon Eusebii<sup>730</sup> et De ecclesiasticis scriptoribus, in vita Fortunatiani Liberii dicat eum ex illis taedio victum subscripsisse haeresi Arrianae. Nihilominus affirmandum est illum perpetuo catholicissimum et sanctissimum fuisse, et in primis quod ante revocationem ab exilio fuerit semper catholicissimus nullus est qui dubitet; passus est enim exilium et persecutiones multas propter fidem et quoad potuit Athanasium defendit extatque inter epistolas Athanasii epistola Athanasii ad Liberium et rescriptum Liberii pro defensione catholicae fidei adversus Arrianos<sup>731</sup>. Quod vero in ipsa revocatione ab exilio Arrianae haeresi non consenserit, ut ei falso imponitur, sed rumor hic sparsus fuerit ab Arrianis quo plures ad suam perfidiam adducerent testatur Nicephorus, lib. 9 *Historiae ecclesiasticae*, cap. 57<sup>732</sup>; confirmarique potest 1.º, efficacissime, ex eo quod nullus ex autoribus graecis historiae ecclesiasticae quibus maxime intererat ad veritatem historiae id investigare, eam causam revocationis ab exilio afferunt,

727. FIGHIUS, ALBERTO, *Hierarchiae ecclesiasticae assertio*, l. 4, c. 13: ed. c., ff. 227-234v. La referencia a Covarruvias debe ser un error del copista. Ciertamente, en el lugar citado, no trata Covarruvias de este asunto; ni hemos podido encontrar algo en otros pasajes de su obra *Variarum Resolutionum*... Pigió, sin embargo, como afirma Molina en el texto, trata ampliamente la cuestión.

× 728. Véase la nota 726.

729. Véanse las notas 725, 724 y 727. Osio / P. gius / Covarrubias

○ 730. HIERONYMUS, *Adiectiones ad Chronicon Eusebii*: PL 27, 502. *De viris illustribus*, c. 97: PL 23, 738.

○ 731. PSEUDOATHANASIUS, *Epistola ad Liberium*: PG 28, 1441; *Rescriptum Liberii ad Athanasium*: PG 28, 1444.

↘ 732. NICEPHORUS, *Historia ecclesiastica*, l. 9, c. 37: PG 146, 371. Defiende en este capítulo la ortodoxia de Liberio; y afirma que: «Eudoxius et qui factionis eius fuere [...] plurimum verborum fecerant quibus Liberium per calumniam traduxerant, perinde atque consubstantiale repudiasset et Patri Filium omnino dissimilem dixisset».

sed longe diversam et quae cum illa minime quadrat. Theodoretus enim 2 lib., *Historiae Ecclesiasticae*, cap. 17<sup>733</sup> ait optimum Liberium revocatum fuisse ab exilio romanis matronis adeuntibus imperatorem et id ab eo obtinentibus. Socrates praeterea, lib. 2, cap. 37, prope finem<sup>734</sup> ait Constantinum imperatorem praeter animi sui sententiam consensisse populo Romano ut Liberius ab exilio revocaretur. Quod si causa revocationis Liberii fuisset ipsum consensisse haeresi Arrianae ut Constantius volebat, certe non dixisset Socrates Constantinum praeter animi sui sententiam consensisse revocationi. Praeterea Augustinus Epistola 163<sup>735</sup>; *Opatus*, 2 lib. contra Donatistas<sup>736</sup> inter Pontifices Romanos catholicos Liberium computant; et Ambrosius, tomo 1.<sup>o</sup>, lib. 3 de virginitate<sup>737</sup>, de Liberio ita inquit: Tempus est soror sancta ea quae mecum conferre soles beatae memoriae Liberii praecepta revolvere ut quo vir sanctior eo sermo accedat gratior. Ad Hierony- [f. 326r]mi ergo testimonium<sup>738</sup> dicendum est eum in vasta eremo Palaestinae commorantem falso rumore arrianorum commotum id dixisse cum audisset Liberium ab exilio revocatum. Rufinus vero, eodem tempore, lib. 1.<sup>o</sup> *Ecclesiasticae Historiae*, cap. 27<sup>738</sup>, meliori consilio ductus non est ausus diffinire revocatusne fuerit quod consensisset haeresi ut habebat falsus ille rumor, an vero precibus populi Romani. Adde quod esto Liberius consensisset exterius perinde atque Marcellinus, non proinde censendus fuisset haereticus.

Felicem etiam obiciunt haeretici quod vivente Liberio et in exilium misso in Summum Pontificem electus est, et neque verus Summus Pontifex erat quandoquidem vivebat Liberius verus Summus Pontifex, neque haereticus fuit, sed solum cum haereticis arrianis consentiebat, ut testantur Rufinus, lib. 1.<sup>o</sup>, cap. 22<sup>739</sup>; Theodoretus, lib. 2 cap. 17<sup>740</sup> et Sozomenus<sup>r</sup>, lib. 4, cap. 11<sup>741</sup>.

r. MS: Sozimus.

733. THEODORETUS, *Historia ecclesiastica*, l. 2, c. 14: PG 82, 1040 C-D.

734. SOCRATES, *Ecclesiastica historia*, l. 2, c. 37: PG 67, 321. 7

735. AUGUSTINUS, *Epistola* 53, l. 1, 2: CSEL 34:2, 154, 2.

736. OPTATUS MILEVITANUS, *Contra Donatistas*, l. 2, c. 3: CSEL 26, 37, 11.

737. AMBROSIIUS, *De virginibus*, l. 3, c. 1: PL 16, 219 C.

738. RUFINUS, *Ecclesiastica historia*, l. 1, c. 27: PL 21, 498.

739. *Id.*, o. c., l. 1, c. 22: PL 21, 495.

740. THEODORETUS, *Historia ecclesiastica*, l. 2, c. 14: PG 82, 1040 C.

741. SOZOMENUS, *Historia ecclesiastica*, l. 4, c. 11: PG 67, 1140. 7

De Honorio est maior difficultas, quia non solum in 6, 7 et 8 synodis invenitur damnatus tamquam haereticus, sed etiam in pluribus aliis locis; et ob id Canus, 6 De locis, cap. ultimo, art. 11<sup>742</sup>; Castrus, 2 De iusta haereticorum punitione, cap. 23<sup>743</sup>; Ioverius, in sua Summa conciliorum, sess. 1<sup>744</sup>; et quidam alii, affirmant eum haereticum fuisse. At vero Pygius et Osius locis citatis<sup>745</sup> affirmantes etiam coniecturis pluribus persuadere conantes synodos illas ab haereticis ea in parte fuisse depravatas, in contraria sunt sententia, eum videlicet catholicum fuisse, quod nonnullis aliis coniecturis confirmant; longius tamen examen tum etiam iudicium hac de re aliis relinquo.

De Ioanne etiam XXII in eam haeresim incidisse dicitur, scilicet animas purgatas non videre Deum ante diem iudicii publicoque decreto statuisset ut quicumque Parisiis ad gradum promoverentur iurarent eam opinionem se defensuros; inde vero factum est ut Universitas parisiensis eam sententiam tamquam haereticam damnaverit cogeretque Papam ut se publice retractaverit. Licet autem l. 2., q. 4, art. 5<sup>746</sup> non fuerimus [f. 326v] arbitrati hoc fabulosum propter plures qui id referunt, modo tamen fabulosum esse non dubitamus, primo, quia ex extravaganti Benedicti XII<sup>747</sup>, qui rem hanc postea diffinivit, constat Ioannem XXII praedecessorem suum praeparasse quidem se ad definiendum quid ea in re tenendum esset, morte tamen praeventum nihil diffinivisse. Quare commentum est Ioannem XXII se retractasse aut id praecepisse parisiensibus. 2.º, quia, unde quaeso tanta autoritas parisiensibus ut iudicare Summum Pontificem possent cogereque eum ut se retractaret? Et 3.º, quia autores huius infamiae ut Osius, Pygius et historiae docent non alii fuerunt quam Marsilius Patavinus<sup>748</sup> et Ockham<sup>749</sup> aemuli Ioannis XXII atque ab eo excommunicati et

742. CANO, *De locis*, l. 6, c. ult., ad 11: ed. Serry c., 1, 447ss.

743. ALFONSO DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione*, l. 2, c. 23: e. c., f. 160, col. 1.

744. JOVER, FRANCISCO, *Sanctiones ecclesiasticae...* Classis prima: f. 83v b.

745. Véanse las notas 724 y 725.

746. MOLINA, LUIS DE, *Expositiones in I. II.*, q. 4, a. 5: Cod. c., f. 51r.

747. BENEDICTUS XII, *Constitutio «Benedictus Deus»*: Mansi, 25, 986 B-C. P

748. MARSILIUS PATAVINUS. En la ed. del *Defensa pacis, Fontes Iuris Germanii antiqui*, Hannover 1932s, no hemos podido encontrar la q. dice Molina.

749. OCKAM, GUILLERMO, *Compendium errorum Papae Ioannis XXII*, c. 7: en *Monarchia s. Romani Imperii sive tractatus de iurisdictione imperiali seu regia*, t. 2: Frankfurt 1614, f. 970ss.

profugi, tamquam schismatici, ad Ludovicum Bavariae schismaticum; quicumque autem postea illam retulerunt, ex scriptis Occham eam transcripserunt, quare fides illi non est adhibenda. Adde quod ut l. 2, loco citato<sup>746</sup>, satis dilucide ostendimus licet eo in tempore ante diffinitionem Ecclesiae Ioannes XXII fuisset in ea sententia, non tamen propterea censendus est haereticus, quemadmodum neque censentur haeretici Bernardus, Theophilactus et plures alii quos citavimus ibi, qui moti quibusdam locis apparentibus Scripturae in eadem sententia fuerunt. Ioannem autem XXII nihil ea de re diffinivisse patet ex extravaganti Benedicti XII, quam apud Castrum invenies ad longum recitatam Adversus haereses verbo Beatitudo haeresis 1.<sup>a</sup> 750.

**Utrum Summus Pontifex hoc ipso quod haereticus sit,  
amittat iurisdictionem depositusque sit iure divino a Pontificatu,  
an necessaria esset sententia Ecclesiae.**

### Disputatio 13.

Turrecremata, 4 lib. Summae, p. 2, cap. 18, 19 et 20<sup>751</sup>; Castrus, 2 De iusta haeticorum punitione, cap. 23 et 24<sup>752</sup>; Paludanus, De potestate ecclesiastica<sup>753</sup> et quidam alii affirmant quod eo ipso quod [f. 327r] Summus Pontifex esset haereticus, amitteret Summum Pontificatum. Quod probant primo, quia Ecclesia et Summus Pontificatus supra fidem fundata sunt; unde Christus Matthaei 16<sup>754</sup> promittens Petro Summum Pontificatum propter egregiam fidei confessionem, dixit: *ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram*, id est, fidei confessionem aut fidem, vel super te firmum ratione fidei, *aedificabo Ecclesiam meam*. Hoc ergo quod Summus Pontifex per haeresim amittit fidem, amittit etiam iure divino Summum Pontificatum; ablato namque fundamento corruiat quod desuper aedificatum est.

750. CASTRO, ALFONSO DE. *Adversus omnes haereses*, v. *Beatitudo*, haeresi 1, l. 3: e. c., ff. 97 B-98 A.

751. TORQUEMADA, JUAN DE. *Summa de Ecclesia*. l. 4, p. 2, c. 18, 19 et 20: ed. c., ff. 390-396v.

752. ALFONSO DE CASTRO. *De iusta haeticorum punitione*. l. 2, c. 23 et 24: ed. c., f. 162, col. 3 y 4; f. 163, col. 1; los capitulos 23-24 ocupan los folios 159, 4-170, 3.

753. PEDRO DE PALUDE, *Tractatus de potestate Papae*: ed. Zurich 1966, p. 195, 7-15.

†754. Mt 16, 18.

2.º, quod neque membrum neque pars Ecclesiae est, non potest esse caput Ecclesiae; at qui haereticus est neque membrum sit neque pars Ecclesiae eo quod sit extra Ecclesiam quae diffinitur congregatio fidelium, ut disputatione 1.ª habitum est; ergo Summus Pontifex hoc ipso quod haereticus est iure divino amittit Summum Pontificatum. Et confirmatur ex Cypriano, cap. Novatianus 7, q. 1<sup>755</sup>, ubi inquit: qui se ab Ecclesiae vinculo et sacerdotum collegio separat nec episcopi potestatem potest habere neque honorem.

3.º Si Papa haereticus sit, vitandus fit iuxta illud Pauli<sup>756</sup>: *haereticum hominem evita*; et illud 2 Ioan. 2.º<sup>757</sup>: *neque ave ei dixeritis*; si autem Summus Pontifex sit, sequendus et consulendus est in causis fidei; cum ergo haec ad invicem pugnent, fit ut Summus Pontifex eo ipso quod haereticus est, Summum Pontificatum amittat.

In contraria sententia est Caietanus, 1.º tomo opusculorum, cap. 19<sup>758</sup> et in Apologia; et sunt quidam alii ut refert Turrecremata, loco citato, cap. 19<sup>759</sup>, videlicet Summum Pontificem haereticum non esse ipso facto a Summo Pontificatu depositum; deponi tamen posse atque esse deponendum si sit incorrigibilis ea in parte. Et probant id primo, ex capite Audivimus 24, q. 2<sup>760</sup> ubi Alexander II de haeretico episcopo ait: si in corde suo novam haeresim confinxit, ex quo talia praedicare coepit, neminem deponere potuit; unde colligunt: ergo si fuit haereticus pure mentalis damnare potuit neque amisit iurisdictionem. Cum ergo Summus Pontifex [f. 327v] hac in parte non sit deterioris conditionis quam caeteri episcopi fit ut Summus Pontifex haereticus mentalis amissa fide non amittat Summum Pontificatum et iurisdictionem in Ecclesiam universalem, et subinde fit ut propter haeresim non sit iure divino privatus Summo Pontificatu. Quare cum iure humano non sit etiam ipso facto privatus eo quod ante haeresim nullum in terris habeat superiorem, sed ipse sit supra to-

× 755. C. I. C., c. 6, C. VII, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 568.

+ 756. Tit 3, 10.

→ 757. 2 Jn 10.

758. CAIETANUS, *De comparatione auctoritatis Papae et Concilii*, c. 19: Opusculorum, t. 1, tr. 1, ed. c., 20 b-21 a; *De comparata auctoritate Papae et Concilii Apologiae pars prima*, Opusculorum, t. 1, tr. 2, ed. c., p. 28 b.

759. Véase la nota 751.

× 760. C. I. C., c. 4, C. XXIV, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 967.



tum ius humanum, fit ut propter haeresim non amittat ipso facto Summum Pontificatum, sed necesse sit prius deponi ab Ecclesia.

2.<sup>o</sup> Si Summus Pontifex hoc ipso quod est haereticus desineret esse Summus Pontifex antequam deponeretur ab Ecclesia sequeretur quod quidquid eo tempore quod esset haereticus pure mentalis aut occultus vel toleratus ab Ecclesia faceret, totum esset irritum et vanum, et collationes beneficiorum, indulgentiae, facultates, etc. essent irrita. Praeterea, nullus praelatus ab eo electus aut confirmatus vel ordinatus haberet iurisdictionem in suos subditos, unde sequeretur sacramentum poenitentiae per hos omnes aut per inferiores qui ab ipsis iurisdictionem acceperunt, ministratum, nullius esse momenti, sed teneri homines iterum confiteri; tum sequeretur nos non esse certos an habeamus verum Summum Pontificem quantumvis canonice sit electus, cum certi esse non possimus an ille sit haereticus mentalis aut occultus vel non. Cum ergo haec omnia in magnam perniciem et perturbationem Ecclesiae vergant, censendum non est Summum Pontificem haereticum iure divino esse ipso facto depositum a Summo Pontificatu.

3.<sup>o</sup> Alii episcopi hoc ipso quod sunt haeretici non sunt ipso facto privati episcopatu; ergo neque Summus Pontifex. Consequentia patet, cum sit par ratio utrobique; et antecedens probatur, quia si propter haeresim ipso iure essent privati suis dignitatibus non possent eas retinere absque nova electione; quod tamen est falsum [f. 328r] quia nonnulli praelati haeretici facti et postea ad sacram fidem conversi in suis dignitatibus perseverare permisi sunt, ut patet cap. Maximum 1, q. 7, et aliis, cap. 4<sup>761</sup>.

4.<sup>o</sup> Principes seculares christiani ex eo quod in haeresim incidunt non sunt ipso facto privati suis dignitatibus; plures enim Reges in lege Veteri idololatrae fuerunt: et in nova Iulianus apostata, Constantius haereticus et alii imperarunt, qui tamquam veri Reges et Imperatores semper habiti sunt: ergo pari ratione Summus Pontifex ex eo quod in haeresim incidat non amittit ipso facto Summum Pontificatum.

5.<sup>o</sup> Ad quem pertinet institutio alicuius, ad eundem pertinet destitutio seu depositio, ut patet cap. Cum ex iniuncto de haereticis<sup>762</sup>; sed licet dignitas Summi Pontificatus sit a solo Deo, applicatio tamen illius ad talem personam et constitutio huius

<sup>761</sup> C. I. C., c. 19, C. I., Q. 7: ed. c., 1, 435; c. 4, C. I., Q. 7: ib., 1, 428.

<sup>762</sup> C. I. C., c. 12, X, de haereticis, V, 7: ed. Friedberg, 2, 784-787.

hominis in Summum Pontificem non est [nisi] mediante electione humana; ergo depositio illius a Summo Pontificatu propter haeresim non est iure divino statim ipso facto commisso crimine, sed mediante sententia Ecclesiae.

6.<sup>o</sup> probant id ex Glossa, cap. Nunc autem, verbo Marcellinus, 21 d.<sup>763</sup> quae ait Marcellinum de haeresi confessum, non fuisse depositum quia, ut Hugo ait, paratus erat corrigi. Ex qua glossa patet non solum Summum Pontificem haeticum non esse ipso facto depositum, sed neque posse deponi si sit paratus corrigi.

Neutra harum duarum opinionum improbabilis est. Iuxta priorem, quae est Turrecrematae, facile redditur ratio quare ob nullum aliud crimen Papa amittat Summum Pontificatum, neque deponi possit ab Ecclesia quam ob crimen haeresis; iure namque divino (eo quod Summus Pontificatus supra fidem fundetur, fierique nequeat ut aliqui sit caput Ecclesiae et non sit pars et incorporatus Ecclesiae per fidem) hoc ipso quod Papa in haeresim incidit [f. 328v]dit amittit Summum Pontificatum; at vero quod ob quodcumque aliud crimen amittat Summum Pontificatum, deponere possit ab Ecclesia, non solum non est expressum neque colligitur ex iure divino quin potius oppositum, Lucae enim 12<sup>764</sup> cum dixisset Christus Petro: *quis putas est fidelis dispensator et prudens quem constituit Dominus super familiam suam*, id est, Ecclesiam (ut exponit glossa interlinealis<sup>765</sup>) *ut det illis in tempore tritici mensuram?*, et addidisset: *beatus ille servus quem cum venerit Dominus*, etc. subiunxit: *quod si dixerit servus ille in corde suo; moram facit Dominus meus venire, et coeperit* (utpote nulum alium timens neque recognoscens alium superiorem) *percutere servos et ancillas et edere et bibere et inebriari, veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit et dividet eum partemque eius cum infidelibus ponet*. Ecce propter perversam administrationem muneris sui et scandala atque devastationem Ecclesiae, non solum non censet Christus vicarium et dispensatorem quem praefecit toti Ecclesiae esse ipso iure depositum, sed aperte innuit in terris non esse a quo possit deponi, eo quod toti Ecclesiae sit praepositus et superior, sed ad caelum clamandum esse orationibus ut vel morte dividatur et auferatur

× 763. C. I. C., c. 7, D. XXI: ed. Friedberg, 1, 71.

† 764. Lc 12, 42.

♣ 765. WALAFRIDUS STRABO, *Glossa ordinaria*, in Lc 12, 42: PL 114, 299 B.

ab Ecclesia vel corrigatur et in virum alterum mutetur. Et plane haec institutio divina irrationabilis non est, ut contendunt qui putant concilium esse supra Papam, posseque eum deponere si sit scandalosus et incorrigibilis. Praeterquam enim quod Christus ipse curam per se ipsum habet de sua Ecclesia, peccataque Ecclesiae esse solent propter quae Christus aliquando permittit perversum Summum Pontificem (unde si Ecclesia toto corde se converteret ad Deum desistendo a peccatis et insisten[*f. 329r*]do orationi, non est dubium quod Deus illi accurreret multo efficacius et melius quam ipsa sibi per potestatem deponendi et puniendi Summum Pontificem) certe talis potestas multo maiora mala apportaret Ecclesiae, quam esset commodum quod ex ea proveniret; in primis namque occasio esset minorem reverentiam et obedientiam praestandi Summo Pontifici, tum etiam ut illi imponerentur crimina ab his quibus esset invisus vel qui ambirent Summum Pontificatum, ut ita deponeretur; deinde per eam tolleretur libertas a Summo Pontifice coercendi potentes quos timere posset ne adversum se concitarent Ecclesiam; et denique occasio cepisset plurium perturbationum et seditionum in Ecclesia, quibusdam faventibus partibus Summi Pontificis, aliis vero contradicentibus aliorumque inconvenientium quae experientia tunc doceret. Adde quod in Rebuspublicis secularibus est huiusmodi potestas adversus regem iniquum et tyrannum et tamen raro aut numquam auditum fuit ea via subventum fuisse huic malo, aut aliquem ex tam multis pessimis et tyrannis principibus qui in hoc mundo fuerunt a republica depositum fuisse. Deinde quod difficillimum esset Ecclesiam convenire ad deponendum Summum Pontificem. cum non esset aliquod unum caput a quo posset convocari et cui caetera parere tenerentur et cum Summus ipse Pontifex pro posse conaretur impedire talem congregationem.

Cui ergo placere<sup>o</sup> opinio Turrecrematae, ita posset respondere ad argumenta pro opinione Caietani. Ad 1 negaret inde colligi haereticum pure mentalem non amittere iurisdictionem; si enim dicat quod ex quo coepit praedicare [*f. 329v*] haeresim neminem potuit damnare non negat quod ex quo incidit in haeresim non potuit damnare, sed tantum vult quod in foro exteriori a tempore a quo constat eum incidisse in haeresim per hoc quod coepit illam praedicare censendum est non potuisse quemque damnare; et certe textus in sequentibus affirmare videtur eum qui per haeresim recedit a fide et Ecclesia continuo amittere iurisdictionem.

nem neque posse absolvere a peccatis neque excommunicare. Quare textus si attente legatur (licet opinative in eo loquatur ea in parte Summus Pontifex) certe plus favet opinioni Turrecrematae, quam Caietani.

Ad 2 admittenda essent illa omnia quae eodem modo sequerentur si qui creatus est in Summum Pontificem esset mulier aut non esset baptizatus aut in aliis similibus eventibus in quibus revera non esset Summus Pontifex. Attamen dicendum est quod cum Christus Dominus promiserit assistentiam suam et Spiritus Sancti Ecclesiae usque ad consummationem saeculi et dixerit Petro super te et successores tuos aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalerunt adversus eam, et ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, in te scilicet et successoribus ex cathedra quam tibi tradam, utique in eisdem promissionibus includitur etiam<sup>s</sup> ut non patiatur aliquem non verum Summum Pontificem quin id detegatur statim intra breve tempus, ut quae ab illo statuta fuerint irrita habeantur vel certe quin perinde illi assistat si aliquid definierit ac si esset legitimus Summus Pontifex. Quare inde periclitari non potest Ecclesia in necessariis, neque quidquam simile ad longum tempus contingere potest in Ecclesia, supposita providentia et assistentia divina et suppositis promissionibus Christi. Adde quod D. Thomas, in IV, d. 24, q. 1, art. 2, questiuncula 3 ad 2 inquit<sup>766</sup>: quod si aliquis non baptizatus promoveretur ad sacros ordines, esto non esset sacerdos neque consecraret, si tamen absolveret pie credi potest quod [f. 330r] Deus suppleret ultimos effectus sacramentorum (conferendo scilicet gratiam et effectum sacramenti poenitentiae eis quos absolveret) neque pateretur diu id latere Ecclesiam, quod non minus credi potest in casu argumenti propositi. Plures etiam alii quos citat Sotus, in IV d. 1, q. 1 art. 2<sup>767</sup> credunt saepe Deum supplere effectum sacramenti deficiente aliquo quod est de essentia sacramenti.

s. MS: est.

766. THOMAS AQUINAS, *Commentum in Quartum librum Sententiarum*, d. 24, q. 1, a. 2, quaestiuncula 3 ad 2: ed. Vivès, t. 11, Paris 1874, p. 27 a. La última parte que añade Molina no se encuentra en esta edición.

767. SOTO, DOMINGO, *Commentariorum...in Quartum Sententiarum tomus primus*, d. 1, q. 5, a. 8: ed. c., p. 133. Debe referirse a este texto. En el citado por Molina, no se encuentra lo que dice en el texto.

Ad 3 negaret antecedens et ad probationem admissio quod non posset retinere suas dignitates sine nova electione, diceret Summum Pontificem per hoc quod concedit illis perseverare in suis dignitatibus censi conferri eis illas de novo.

Ad 4, admissio antecedente, negaret consequentiam, quia Summus Pontificatus fundatur super fidem esseque aliquem Summum Pontificem est esse caput Ecclesiae quod supponit esse partem et incorporatum Ecclesiae per fidem; dignitas autem regia aut imperialis nihil tale exigit, cum ad finem naturalem ordinetur et inter paganos reperiatur.

Ad 5, negaret maiorem, si in universum intelligatur; nullum enim est inconveniens si alicui committatur electio alicuius ad aliquam dignitatem non vero depositio a dignitate. Et plane in proposito ridiculum est quod Deus iure divino non possit deponere aliquem ipso facto propter aliquod crimen cuius electionem in Summo Pontificatu Ecclesiae reliquerit. Caput autem illud tum ex iniuncto solum dicat quod episcopis ex officio convenit constituere sacerdotes in cura et regimine animarum et eos deponere ab eo officio legitimis de causis; ex quibus verbis mirum est quod quis colligat illam regulam generalem.

Ad 6, irridenda est glossa illa quae affirmat Marcellinum de haeresi fuisse confessum; solum enim confessus est actum externum idololatriae sine errore in intellectu. Deinde neganda est autoritas eiusdem glossae quoad reliquum. Haec de opere Turrecrematae.

[f. 330v] Non minus probabilis videtur opinio Caietani, in quam primum inclinandum potius censeo. Durum enim videtur admittere non solum quod Summus Pontifex haereticus mentalis aut occultus continuo desinat esse Summus Pontifex, irritaque sint omnia quae interim fecerit et disposuerit, sed etiam quod si ad brevissimum tempus interius consentiat in haeresim aut sit dubius in fide et statim respiscat, indigeat nova electione ut sit Summus Pontifex, quod tenentur admittere qui sequuntur opinionem Turrecrematae. Cum enim per consensum in haeresim, amiserit apud eos Summum Pontificatum, certe nisi iterum canonicè eligatur, non erit Summus Pontifex. Adde quod si Summus Pontifex statim atque est haereticus amitteret Summum Pontificatum, certo cum Marcellinus in eo quod idololatriae consenserit exterius suspectus fuerit de haeresi, patres non ita leviter eum

poenitentem et cognoscentem peccatum suum recognovissent Summum Pontificem, recusantes eum iudicare, quin potius ad cautelam in re tanti momenti cui periculum erat ne irrita essent quae postea statuerit, illum elegissent aut fecissent eligi in Summum Pontificem. Adde etiam quod licet Honorius damnatus fuerit de haeresi, ut multis placet, numquam tamen dubitatum est an quae per illum disposita erant in Ecclesia irrita essent.

Dices: quae ergo ratio assignari potest iuxta hanc sententiam quare Ecclesia deponere possit Summum Pontificem propter haeresim, non vero propter alia crimina? Ad hoc respondet Caietanus, tomo 1 opusculorum tractatu 9, cap. 16<sup>768</sup> a iure divino derivari quod Ecclesiae ministri aliter possint deponere Summum Pontificem ob crimen haeresis si sit incorrigibilis; quod vero non possit deponi ob alia crimina aperte colligit ex eodem iure divino. Cum enim Scripturae doceant haereticum nullo excepto esse vitandum et dividendum [f. 331r] dum a communione fidelium, ut patet ex Paulo<sup>769</sup>; et Ioannes dicat<sup>770</sup>: *neque ave ei dixeritis*, standoque in solo iure divino non sit statim vitandus et dividendus cum subiungat Paulus post unam et alteram correctionem, quando scilicet iam censetur subversus et incorrigibilis, fit ut quemadmodum electio Summi Pontificis iure divino commissa censetur Ecclesiae, ita depositio illius a Summo Pontificatu et praecissio propter crimen haeresis quando iudicatus fuerit incorrigibilis commissa censeatur Ecclesiae. Praeterea ratio postulabat ut potius propter haeresim quam propter quodcumque aliud crimen esset deponendus, tum quia haeresis doctrinae quam ex cathedra Petri tradere debet adversatur, tum etiam quia constat non nisi christianum capacem esse Summi Pontificatus. Quare cum is qui in haeresim incidit fidemque amittit quantum est de se desinat esse christianus, tametsi in eo maneat character christianitatis pertineatque aliquo modo ad Ecclesiam, fit ut propter hoc crimen potius quam propter quodcumque aliud deponendus sit a Summo Pontificatu. Quod vero ex iure divino aperte colligitur Summum Pontificem ob alia crimina a Pontificatu non posse deponi, patet

768. CAIETANUS, *De comparatione auctoritatis Papae et Concilii*, c. 20: Opusculorum t. 1, tr. 1, ed. c., p. 21 a-22 b; c. 21: ib., 22 b. El capítulo 17 comienza en p. 19, y llega hasta la 25 el capítulo 22, que son los que tratan la materia a que se refiere Molina.

769. Cfr. 1 Cor 5, 11.

770. 2 Jn 10.

tum ex illo Lucae 22<sup>771</sup> citato, tum etiam quia praelati mali aliis infecti criminibus ex Scripturis stando in solo iure divino tolerandi sunt. Christus namque Matthaei 23<sup>772</sup> dixit: *Super cathedram Moysis sederunt scribae et pharisaei*, quod dixerint facite, secundum opera eorum nolite facere. Et Petrus, 1.<sup>a</sup> canonica, cap. 2<sup>773</sup>, etiam discipulis iubet obedire. Quare cum nullum ius humanum esse possit supra Summum Pontificem, quemadmodum a Summo Pontifice et Ecclesia esse potest supra alios praelatos, fit ut non quemadmodum propter alia crimina deponi possunt alii praelati ita deponi possit [f. 331v] Summus Pontifex. Quod vero ob nullum aliud crimen deponi aut iudicari possit Summus Pontifex quam propter haeresim confirmatur ex capite Nunc autem, 21 d.<sup>774</sup>, cap. Si Papa, 40 d.<sup>775</sup>, cap. Oves 2, q. 7<sup>776</sup>, cap. Facta<sup>777</sup>, cap. Episcopus, q. 3<sup>778</sup>, et ex pluribus aliis.

Iuxta hanc ergo sententiam ad 1 propositionem Turrecrematae negandum est, ad eum sensum, fidem esse fundamentum Summi Pontificatus quasi fide ablata non maneat. Licet enim confessio fidei fidesque illa magnifica Petri fuerit ratio quare Deus illi promiserit Summum Pontificatum et successoribus suis, subiectum tamen Summi Pontificatus est homo baptizatus atque ab episcopo ordinatus. Quare sicut character et potestas ordinis manent in presbytero haeretico, ita Summus Pontificatus manet in Pontifice qui in haeresim incidit quousque deponatur. Id etiam quod in eodem argumento assumitur, fidem scilicet esse fundamentum Ecclesiae, improprie admodum dicitur et absolute negandum est; fides enim non tam fundamentum Ecclesiae quam complementum rationis formalis Ecclesiae militantis appellandum est.

Ad 2 dicendum est aliquem esse partem et membrum Ecclesiae contingere dupliciter: uno modo perfecte quod fit per fidem et characterem baptismalem suscepto baptismo, altero vero modo imperfecte quod fit vel per characterem tantum vel per fidem tantum, quo pacto cathecumenus habens veram fidem dicitur imperfecte pars Ecclesiae christianae. Hoc praehabito, ad argu-

† 771. Lc 22, 32.

† 772. Mt 23, 2s.

† 773. 1 Pe 2, 18.

× 774. C. I. C., c. 7, D. XXI: ed. Friedberg, 1, 71s.

× 775. C. I. C., c. 6, D. XL: ib., 1, 146.

× 776. C. I. C., c. 13, C. II, Q. 7: ib., 1, 485.

× 777. C. I. C., c. 15, C. IX, Q. 3: ib., 1, 610s.

× 778. No hemos logrado encontrar esta cita. Quizá se trate de un error por el c. Ex merito (C. I. C., c. 13, C. VI, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 557).

mentum dicendum est quod licet id quod nullo modo est pars et membrum Ecclesiae neque perfecte neque imperfecte non possit esse caput, attamen id quod imperfecte est membrum et pars ratione characteris quia ut sic est subiectum Summi Pontificatus, si sit canonicè electus et non depositus potest esse caput Ecclesiae quoad [f. 332r] munus Summi Pontificatus, quemadmodum presbyter haereticus qui est imperfecte pars Ecclesiae quoad characterem baptismalem, retinet functionem consecrandi Eucharistiam, quae functio munus est nobilissimi membri Ecclesiae, idque propterea quod ratione characteris est subiectum potestatis consecrandi<sup>t</sup>. Ad confirmationem dicendum est, forte Cyprianum fuisse illius sententiae scilicet dicendum est quod loquitur de episcopis inferioribus Summo Pontifice qui per haeresim externam se separabant ab Ecclesia; tales enim potestatem iurisdictionem exercere non poterant.

Ad 3 dicendum est, nullam esse repugnantiam quod sit sequendus quatenus Summus Pontifex et quatenus docet ex cathedra Petri, et quod sit vitandus quatenus haereticus et persona particularis. Dicendum est praeterea argumentum probare non quadrare aliquem esse simul Summum Pontificem et haereticum, et ob id expedire ut continuo deponatur nisi continuo respiscat, quod libenter concedimus.

**Utrum Papa quatenus Summus Pontifex est  
errare possit in rebus fidei definiendis.**

**Disputatio 14.**

Summum Pontificem in rebus fidei diffiniendis et proponendis Ecclesiae errare posse affirmant Almain, in 3, d. 24, q. 16, dub. 6<sup>779</sup>; Gerson, in tractatu de examinatione doctrinae consideratione 1 et 2<sup>780</sup>; Adrianus, in 4, q. de confirmatione, art. ultimo in fine<sup>781</sup>. In eadem sententia videntur esse Abulensis, 2 p. sui Defenso-

t. MS: Concernendae.

779. ALMAIN, JACOBO, *In tertium Sententiarum lectura* a quodam suo discipulo collecta, d. 24, q. 1, dub. 6, Tertia propositio: Paris 1512, f. 79r b.

780. GERSON, JUAN, *De examinatione doctrinarum*, 1 et 2: ed. Glorieux, Desclée 1973, 9, 459. 460.

781. HADRIANUS DEDEL [ADRIANO VI], *Quaestiones et disputationes in 4 1. Sententiarum de Ecclesiae sacramentis*, q. de confirmatione, a.



rii<sup>762</sup>; Durandus, in 4, d. 3, q. 4 ad 1<sup>763</sup>; et Gratianus in additione ad cap. Quod posuisti 32, q. 7<sup>764</sup>. Alfonsus vero a Castro, 1.<sup>o</sup> lib. De iusta haereticorum punitione, cap. 4 et 6<sup>765</sup> affirmat Summum Pontificem errare posse in rebus fidei definiendis si non adhibe- [f. 332v]at debitam diligentiam aut passione aliqua sinistra in interpretatione moveatur ad aliquid definiendum.

Sit vero haec conclusio: Summus Pontifex in rebus fidei definiendis errare non potest, si tamquam Summus Pontifex statuatur aliquid ut fide tenendum et proponatur Ecclesiae. Haec, cum Cano, 6 De locis, cap. 3 et 7<sup>766</sup> et cum plerisque aliis, non dubito esse de fide. Quoniam vero satis patet ex dictis in superioribus, maxime disputatione quarta, octava et nona, paucis perstringam probationes. Probatur ergo primo, ex illo Matthaei 16<sup>767</sup>: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; supra Petrum enim ratione cathedrae et Summi Pontificatus sibi et successoribus traditi, dicitur Ecclesia aedificata tamquam supra petram firmissimam, ut locis citatis est explicatum. Unde subiungit Christus portas inferi non praevalituras adversus illam. Quod si Petrus et successores non haberent assistentiam Spiritus Sancti ad non errandum in rebus fidei definiendis ex cathedra et quatenus sunt Summi Pontifices, certe non super eos ratione cathedrae esset Ecclesia aedificata tamquam supra firmam petram, neque adderet Christus portas inferi ea ratione non praevalituras adversus eam.

2.<sup>o</sup> probatur, ex illo Lucae 22<sup>768</sup>: *Ego rogabo pro te ut non deficiat fides tua*, quam scilicet tu et successores docueritis ex cathedra et Pontificatu quem tibi tradam et quam Ecclesia quae

782. ALFONSO DE MADRIGAL. *Defensorium trium conclusionum*, p. 2, c. 30: ed. Opera omnia, t. 25, Venecia 1728, p. 120 a. Parece referirse Molina a las siguientes palabras de dicho capitulo: «Sed etiam circa fidem potest Papa ignorare et errare et effici haereticus aliquando per ignorantiam, aliquando per aliam affectionem. Sic patet in decretali D. XL, cap. Si Papa, ubi si Papa reprehenditur a fide devius, deponitur».

783. Nos ha sido imposible verificar esta cita de Durando. No hemos encontrado en su obra esa afirmación.

784. GRATIANUS. *Additio ad c. 18, C. XXXII, Q. 7*: ed. Friedberg, 1, 1145.

785. ALFONSO DE CASTRO. *De iusta haereticorum punitione*, l. 1, c. 4: ed. c., f. 13, col. 1. Añade Castro: «Eo enim eventu erravit ut particularis persona non ut cathedrae moderator et rector. Erravit tunc homo qui in sede apostolica erat, sed non erravit Sedes apostolica, quoniam Sedes apostolica nihil sine maturo examine indicat». En el capítulo sexto, sin embargo, no hemos encontrado nada.

786. CANO. *De locis*, l. 6, c. 3 et 7: ed. Serry c., 1, 402-409 y 423-430.

787. Mt 16, 18.

te et successores tuos habuerit doctores et pastores fuerit sequuta: *exauditus autem fuit Christus pro sua reverentia* <sup>788</sup>. In hoc sensu intelligunt locum hunc Bernardus, in epistola ad Innocentium contra errorem Petri Abaelardi <sup>790</sup>. Lucius Papa et martyr ante annos mille et circiter trecentos, in epistola ad episcopos Galliarum et Hispaniarum <sup>791</sup>; Agato in epistola quadam quae habetur in 6 synodo, act. 4 et approbatur [f. 333r] act. 7 <sup>792</sup>; Innocentius III, cap. Maiores <sup>793</sup>, et de baptismo et eius effectu; et plures alii.

3.º probatur eadem ratione qua disputatione nona, conclusione sexta, probatum est concilium universale a Summo Pontifice confirmatum errare non posse in fide, quae est huiusmodi: tota Ecclesia universalis stare tenetur diffinitionibus Summi Pontificis in rebus fidei, ut ibidem late ostensum est; tum ex illo Deut 17 <sup>794</sup>, ubi praecipiebat Deus in rebus dubiis ascendere ad Summum Sacerdotem et stare sententiae et diffinitioni illius, et ut interficeretur qui tali diffinitioni non velit stare, tum etiam ex pluribus aliis. Si ergo Summus Pontifex errare posset in rebus fidei definiendis, Ecclesia etiam universalis non solum errare posset, sed etiam errare teneretur. Cum ergo hoc haereticum sit, fit ut haereticum sit Summum Pontificem errare posse in rebus fidei definiendis.

4.º probatur, quia eadem disputatione ostensum est concilium universale legitime congregatum et praesidente Summo Pontifice aut illud confirmante errare non posse in rebus fidei definiendis; sed in huiusmodi conciliis quidquid omnes patres definiant non est certum in fide nisi concurrat cum illis Summus Pontifex ad definiendum illud idem vel per se vel legatos ex particulari informatione Summi Pontificis vel confirmando diffinitionem, ut ibidem conclusione septima et octava ostensum est; fit ergo ut in diffinitione Summi Pontificis in rebus fidei assistentia sit Spiritus Sancti neque errare possit. Et certe qui diligenter consideraverit quae disputatione nona dicta sunt, inveniet infallibilitatem

+ 788. Lc 22, 32.

789. Cfr. Heb 5, 7.

o 790. BERNARDUS, *Epistola ad Innocentium contra errorem P. Abaelardi*: PL 182, 1053s.

191. LUCIUS, *Epistola ad episcopos Galliae et Hispaniae*: Mansi, 1, 880 A.C. P

792. AGATO, *Epistola* quae habetur in VI Synodo: Mansi, 11, 242 B-C. P

x 793. C. I. C., c. 3, X, de Baptismo, III, 42: ed. Friedberg, 2, 644.

- 794. Dt 17, 12.

conciliorum universalium ab infallibilitate et assistentia Spiritus Sancti in diffinitionibus Summi Pontificis pendere.

[f. 333v] 5.º, concilia generalia raro et difficile ac post longum tempus possunt congregari; si ergo Summus Pontifex solus qui est caput Ecclesiae in rebus fidei diffiniendis errare posset, certe insufficienter providisset Christus Ecclesiae suae ad iudicandum et discernendum res fidei atque ad continendum in pace et veritate fidei Ecclesiam, perperamque praeciperet<sup>u</sup> Deuteronomi 17<sup>794</sup> ascendere ad Summum Sacerdotem et stare sententiae illius. Adde quod si Summus Pontifex errare posset in fide ita definiendo, licitum esset appellare ab eo ad concilium universale; quod in Ecclesia Dei est inauditum neque admittenda sit potestas in terris supra Vicarium Christi.

6.º idem probatur ex clementina unica de Summa Trinitate et fide catholica ex concilio Viennensi<sup>795</sup> ubi habetur ad sedem apostolicam pertinere declarare dubia fidei; et in concilio Constantiensi, sess. 45<sup>796</sup>, sacro approbante concilio, mandat Archiepiscopis, Episcopis etc. ut eos qui aliter sentiunt de rebus fidei ac sentit Romana Ecclesia tamquam haereticos iudicent; et Leo X, 3 tomo conciliorum, in Bulla quadam post concilium Lateranense ultimum<sup>797</sup> damnat articulum 27 Lutheri dicentis: certum est non esse in manu Ecclesiae aut Papae statuere articulos fidei, et articulum 28 sequentem qui habebat: si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic determinaret, etiam si non erraret, non esset peccatum aut haeresis, contrarium asserere, donec per concilium universale alterum sit approbatum, alterum reprobatum. Item in concilio Complutensi<sup>798</sup> a Sixto IV confirmato, condemnatus est Petrus Oximensis tamquam de haeresi, quod affirmaverit Ecclesiam urbis Romanae errare posse. Extravagantem Sixti, qua concilium hoc confirmatum est et errores Petri Oximensis damnati sunt invenies apud Castrum, Adversus haereses, verbo confessio<sup>799</sup>.

u. MS: perciperet.

\* 795. C. I. C., c. un., in Clementinis, I, 1: ed. Friedberg, 2, 1133.

℄ 796. *Concilium Constantiense*, sess. 45: Conciliorum omnium... tomus secundus, p. 1167 b.

797. LEO X, *Bulla «Eurge Domine»*: DS<sup>24</sup> 1477s. ?

℄ 798. *Concilium Complutense*: CARRANZA, *Summa Conciliorum*, ed. c., 621-625. Bula de Sixto IV, «Licet ea».

799. ALFONSO DE CASTRO, *Adversus omnes haereses*, v. *Confessio*, l. 4: ed. c., f. 131 D-132 D.

Id vero quod ait Castrus<sup>800</sup>, Summum videlicet Pontificem errare [f. 334r] posse in rebus fidei definiendis, si non adhibeat debitam diligentiam, aut sinistra aliqua passione aut intentione ad definiendum moveatur, non aliter impugnandum est quam disputatione nona ad finem conclusionis sextae impugnatum est, concilium universale errare posse si non adhibeat debitam diligentiam. Hac enim opinione (ne errorem dicam) admissa, certe corrui autoritas omnium Summorum Pontificum definientium; neque enim scire possumus an debitam diligentiam adhibuerint, (saltem qui non interfuimus vel nati sumus post tales definitiones) et an Summi Pontifices perversa intentione aut passione moti fuerint. Absolute ergo affirmandum est quod quidquid Summus Pontifex iuxta tenorem oppositae conclusionis in rebus fidei definit assistentia Spiritus Sancti, definitum sit certumque sit in fide. Vide quae loco citato<sup>801</sup>, dicta sunt.

Dices: si Summus Pontifex assistentiam habet Spiritus Sancti certaque sunt quae definit, quorsum est congregare concilia universalialia? Respondeo congregari, in primis, saltem ut os obstruatur illis qui infallibilitatem tribuunt concilio et non soli Summo Pontifici; tum etiam quia consensio totius Ecclesiae universalis in diffinitionibus qualis est in conciliis universalibus plus movet populos atque infirmitatem humanam adversus haereticos quam diffinitio solius Summi Pontificis. Respondeo deinde, congregari ut melius discutiantur et inspiciantur res, meliusque discernantur; licet enim Deus assistat ne sit error in diffinitionibus tam concilii universalis quam Summi Pontificis, quo plures tamen et doctiores conveniunt maiorique zelo et diligentia eo plura et dilucidius definiuntur. Deus enim ita assistit ut cooperationem et diligentiam Ecclesiae exigat, et quo haec est maior pluresque doctiores et sanctiores conveniunt, eo plura definiuntur in pluribusque illuminatur Ecclesia. Adde, quod concurrente tota Ecclesia melius necessitates illius intelliguntur commodiusque discernuntur quae ad reformationem et bonum regimen illius spectant [f. 334v] meliusque executioni mandantur quae per consensum totius Ecclesiae definiuntur. Unde non frustra, sed summa cum utilitate congregantur concilia universalialia, esto Summus Pontifex sine concilio errare non possit in rebus fidei definiendis,

800. Id., *De iusta haereticorum punitione*, l. 1, c. 4: ed. c., f. 13, col. 1.

801. Véase la p. 548s.

et esto ius habeat statuendi quae ad reformationem et bonum regimen Ecclesiae pertinent.

**Utrum definitio summorum Pontificum  
et conciliorum universalium censenda sit de fide.**

**Disputatio 15.**

Antequam satisfaciamus nonnullis obiectionibus adversus conclusionem praecedentis disputationis, videndum est quae diffinitiones Summorum Pontificum et conciliorum universalium censendae sint de fide. Antequam autem id statuamus, sit 1.<sup>a</sup> conclusio. Sicut Summus Pontifex et concilium universale errare non possunt in rebus fidei quae ad speculationem spectant pro indubitatis definiendis, ita errare non possunt in definiendis quae ad mores et ad consuetudinem universalem Ecclesiae ad salutem necessariam spectant, v. gr. errare non potuit Summus Pontifex aut concilium in definiendo licitum esse laicis communicare sub una tantum specie quasi usus huiusmodi sub una tantum specie sit contra ius divinum, ut haeretici contendunt. Item, Summus Pontifex aut concilium definire nequit tamquam indubitatum et certum, peccatum esse quod peccatum non est, aut licitum esse quod illicitum est, et eadem ratione statuere non potest praeceptum obligans universam Ecclesiam de re aliqua illicita quae vel cum Scripturis Sanctis vel cum lumine naturali pugnet, poterunt quidem Summi Pontifices et concilia tot multiplicare leges et consilia seu censuras successu temporis quae plus iusto gravent Ecclesiam et quas minui expedientissimum sit. Adde iniustam legem quae iniquam aliquid praecipiat quaeque vellet obligare universam Ecclesiam condere non posse. Item etiam addo non esse inconveniens si feratur lex aliqua tamquam [f. 335r] expediens, quae postea variatis circumstantiis non comperiat expedit aut quae statim non expedit propter circumstantias et inconvenientia quae non occurrunt legislatoribus. At quod Summus Pontifex vel concilium legem iniquam ferat, qua intendat obligare totam Ecclesiam, id est quod dicimus fieri non posse propter assistentiam Spiritus Sancti ad non errandum in fide et moribus concernentibus universam Ecclesiam. Conclusio ita explicata est Cani 5

de locis, cap. 5, q. 5<sup>802</sup>. Est vero, adeo certa ut oppositum erroneum, haeresi proximum seu potius haereticum sit. Et probatur primo, quia non minorem assistentiam Spiritus Sancti habent Summus Pontifex et concilium ad interpretandum Scripturas et colligendum ex illis et traditionibus quae ad mores pertinent quam quae pertinent ad veritates speculativas fidei; ergo sicut errare nequeunt in definiendis tamquam indubitatis quae ad veritates speculativas fidei pertinent, ita errare nequeunt in definiendis quae pertinent ad mores. Et confirmatur haec ratio, quia sicut fides necessaria est ad salutem, ita et mores, nomineque portarum inferi non solum haereses, sed et peccata intelliguntur; ergo sicut Ecclesia, quia fundata est supra petram et ab illo [Petro] et successoribus ex cathedra Summi Pontificatus docetur, errare non potest in fide, ita neque in doctrina morum; et subinde sicut Summus Pontifex assistentiam habet Spiritus Sancti ad non errandum ex cathedra in fide, ita in moribus.

2.º, quia Petro et successoribus commisit Christus, Ioanne ultimo<sup>803</sup>, curam pascendi oves tradendique pastum spiritualem ad salutem necessarium; hic autem non solum in cognitione fidei, sed etiam morum consistit. Praeterea, ovibus iussit facere quae pastores docerent, Matthaei 23<sup>804</sup>: quae dixerint vobis facite. Si ergo supremus pastor conciliumve universale errare posset in definiendis et praeciendis [f. 335v] ex cathedra quae ad mores pertinent, certe et insufficienter Christus providisset Ecclesiae suae, et oves sui erroris Christum praecipuum quodammodo haberent autorem. Adde Paulum, Ephesios 4<sup>805</sup> affirmare Christum Ecclesiae dedisse pastores et doctores ad consummationem sanctorum, ut non circumferamur omni vento doctrinae. In doctrina ergo morum Ecclesia et Summus Pontifex errare non possunt.

3.º Ioanne 15<sup>806</sup> pollicitus est Christus Spiritum Sanctum Ecclesiae qui doceret omnem veritatem utique ad salutem necessariam; ad salutem autem necessariae sunt veritates morales.

4.º, quia concilium Constantiense tamquam haereticos eos damnat, sess. 13<sup>807</sup> qui docent concilium errasse statuendo ut

802. CANO, *De locis*, l. 5, c. q. 5: ed. Serry c., 1, 360-370.

+ 803. Jn 21, 15ss.

+ 804. Mt 23, 3.

+ 805. Ef 4, 11s.

+ 806. Jn 16, 13.

⊆ 807. *Concilium Constantiense*, sess. 13: COed, 419, 21ss, 40.

laici sub una tantum specie communicarent, et Martinus V eodem modo eos damnat in litteris quibus concilium Constantiense confirmavit<sup>808</sup>; fieri ergo non potest ut Summus Pontifex aut concilium errant in huiusmodi rebus definiendis.

Canus, 5 De locis<sup>809</sup>, postquam usus est hac eadem ultima probatione ad hoc ipsum confirmandum, paulo inferius nutare videtur an sit haeticum affirmare Ecclesiam errasse in hac consuetudine praecienda ut laici communicarent sub una tantum specie. Nam, inquit, concilium Constantiense quando id definivit erat sine capite, et ob id non est certum in fide quod definivit. Praeterea, inquit, Martinus V<sup>808</sup> in litteris quibus Concilium confirmavit non simpliciter approbat illum articulum, sed solum definit eos qui docuerint Ecclesiam in consuetudine huiusmodi errasse condemnandos esse ut haeticos vel ut sapientes haeresim. Mirum est tamen quod Canus hac in parte dubitet et quod his motivis moveatur. Martinus enim V sessione ultima concilii Constantiensis confirmavit omnia quae a concilio definita erant in materia fidei adversus haeticos, [f. 336r] ut ipsemet Canus affirmat eodem libro capite ultimo ad 9<sup>810</sup>. Quare post huiusmodi confirmationem, de fide utique est quod illa sess. 13 est definitum. Licet autem Martinus V in Bulla, connumerato illo articulo, subiungat dicentes pertinaciter oppositum praemissorum tamquam haeticos vel sapientes haeresim esse puniendos; attamen nomine praedictorum non illum tantum articulum, sed et praecedentes intelligit, neque propterea haeticos esse negat qui oppositum illius articuli pertinaciter docent. Adde quod in concilio Tridentino, sess. 21 canone 2<sup>811</sup> tamquam haeticum definitum fuit affirmare Ecclesiam in ea consuetudine errasse. Sic enim habet canon ille: "Si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse ut laicus sub panis tantummodo species communicaret, aut in eo errasse, anathema sit". Vide etiam canonem praecedentem; tum etiam caput 1 et 2 eiusdem sessionis<sup>812</sup>.

808. MARTINUS V, *Bulla «Inter cunctas»*: DS<sup>80</sup> 1258. P

809. CANO, *De locis*. l. 5, c. 5, q. 5, concl. 2: ed. Serry c., 1, 365.

810. *Id.*, o. c., l. 5, c. ult. ad 8: *ib.*, 386.

C. 811. *Concilium Tridentinum*, sess. 21, cn. 2: COeD, 727, 32-34.

C. 812. *Concilium Tridentinum* sess. 21, cn. 1: *ib.*, 727, 29-31; *ib.*, cap. 1 et 2: *ib.*, 726s.

2.<sup>a</sup> conclusio. Summus Pontifex errare potest in iudiciis, imo et in praeceptis de rebus non pertinentibus ad fidem aut ad totam Ecclesiam, sed ad res aut causas vel personas particulares; ut errare potest circa collationem beneficiorum, circa sententias in causis particularibus, circa praeceptum quo interdum praecipit, iuxta allegata et probata, ut aliquis sub poena excommunicationis vitam agat cum aliqua a qua iure divino tenetur abstinere eo quod non illa, sed alia sit sua legitima uxor; unde Innocentius III capite A nobis 2, de sententia excommunicationis<sup>813</sup>, ita inquit: iudicium Dei veritati quae non fallit neque fallitur semper innititur; "iudicium autem Ecclesiae nonnumquam opinionem sequitur, quam et fallere saepe contigit et falli; propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, et qui liber est apud Deum ecclesiastica sit sententia innodatus". Hactenus Innocentius. In huiusmodi ergo iudiciis et praeceptis neque Ecclesiae neque Summo Pontifici promissa [f. 336v] est assistentia Spiritus Sancti ad non errandum, neque etiam in definiendis rebus naturalibus si cum revelatis non sint coniuncta atque ex eis deducantur. Unde si in diffinitionibus Ecclesiae aliquid huiusmodi admisceatur, non est censendum intentionem Ecclesiae aut Summi Pontificis esse illud definire. Unde licet in symbolo Athanasii<sup>814</sup> dicatur, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus, ubi innuitur partes simul sumptas esse idem cum toto, non proinde censendum est esse certum in fide partes simul sumptas esse idem cum toto, aut intentionem Ecclesiae fuisse illud definire. Quod enim ibi principaliter asseritur et intenditur diffiniri est, ex Verbo divino et humana natura seu esse hominis v in Christo unum quid et non plura supposita resultare, quasi in Christo sint plura supposita quemadmodum ex anima et corpore unum quid resultat, quando ad invicem uniuntur; unde hoc est quod tamquam de fide ibi definitur, non vero quod partes sint idem cum suo toto.

v. MS: homines.

× 813. C. I. C., c. 28, X, de sententia excommunicationis, V, 39: ed. Friedberg, 2, 899.

814. *Symbolum «Quicumque»*: DS<sup>38</sup> 76.

*simul*



Maiores autem est difficultas, utrum circa canonizationem sanctorum possit Ecclesia aut Summus Pontifex errare quasi aliquis non sanctus, sed in inferno damnatus, possit esse relatus ab Ecclesia in catalogum et numerum sanctorum; an vero hoc ipso quod aliquis canonizatus est de fide sit esse sanctum. Glossa super caput Unicum de reliquiis et veneratione sanctorum, lib. 6<sup>815</sup> affirmat quod licet credendum sit Ecclesiam hac in parte nunquam errare, attamen non repugnat aliquando errare, ita quod revera sanctus non sit qui in numerum sanctorum sit relatus. In eadem sententia est Driedonius, 4 libro De ecclesiasticis dogmatibus, cap. 5<sup>816</sup>; Canus, 5 De locis, cap. 5, q. 5<sup>817</sup>; Felinus, super cap. Venerabili de testibus<sup>818</sup>; et Caietanus in tractatu De thesauro indulgentiarum, cap. 8<sup>819</sup>. Potissimum fundamentum est, quia Summus Pontifex [f. 337r] in canonizatione sanctorum innititur probationibus et testimoniis humanis circa miracula, vitam et alia quae motiva sunt ad referendum aliquem in catalogum sanctorum; huiusmodi autem testimonia fallere possunt. Quare sicut in aliis particularibus in quibus Summus Pontifex iudicat secundum allegata quae fallere possunt, errare potest ut patet ex praecedenti conclusione, ita in proposito non repugnat ipsum errare. Catharinus, in tractatu De canonizatione sanctorum<sup>820</sup>; Covarrubias, 1.º libro Variarum resolutionum, cap. 10 num. 13<sup>821</sup>; Ioannes Neapoli, quodlibeto 11<sup>822</sup>, affirmant errare non posse in canonizatione sanctorum. D. Thomas, quodlibeto 9,

< 815. C. I. C., c. un., in Sexto, IV, 22. Véase la Glosa en ed. Roma 1582, col. 581.

816. DRIEDO, JUAN. *De scripturis ecclesiasticis...*, l. 4, c. 1: ed. Opera omnia c., 1, f. 207ss. Véase, por ejemplo, f. 207v A: «Super illis autem credere aut dubitare, ecclesiam potuisse deludi et decipi, non est haeresis [...] Verum quidem est Ecclesiam in his quae sunt facti errare posse».

817. CANO. *De locis*, l. 5, c. 5, q. 5: ed. Serry c., 1, 360.

818. SANDEUS, FELINUS. *In Decretalium libros V. Pars secunda, Commentaria in librum II, tit. 20, cap. Venerabili*: Venecia 1584, col. 731s.

819. CAIETANUS. *Tractatus de indulgentiis*, c. 8: Opusculorum, tr. 15, ed. c., p. 96 a.

820. AMBROSIO CATHARINUS. *De certa gloria, intocatione ac veneratione sanctorum, disputationes atque assertiones catholicae adversus impios*, Rationes quod ecclesia Dei in canonizatione sanctorum non potest errare; Certa signa quod ecclesia in canonizatione Sanctorum errare non possit; Doctorum sententiae pro ecclesia quod in canonizatione Sanctorum errare non possit; Resolutio eorum quae in contrarium afferuntur: Lyon 1542, pp. 10-18: 18-20: 20-26: 26-36.

821. COVARRUBIAS, DIEGO DE. *Variarum Resolutionum...*, l. 1, c. 10, n. 13: Opera, ed. c., 2, 69 b.

822. JUAN DE NÁPOLES, *Quodlibetum II*.

art. ultimo<sup>823</sup>, quem sequitur D. Antoninus, 3 p., tit. 12, cap. 8, § ultimo<sup>824</sup>, affirmat canonizationem sanctorum medium quid tenere inter ea de quibus loquuntur duae praecedentes conclusiones; quatenus scilicet, licet Summus Pontifex in huiusmodi iudicio innitatur testimoniis et probationibus humanis, toti tamen Ecclesiae proponit qui venerandi et invocandi sint tamquam sancti; unde, inquit, pie credendum est quod circa canonizationem sanctorum Summi Pontificis iudicium Ecclesiaeve errare non potest.

Pro solutione huius difficultatis sit 3.<sup>a</sup> conclusio in ordine. Non est certum in fide quod hoc ipso quod aliquis canonizatus est absolute revera sanctus sit. Haec non solum est omnium, quos primo loco citavimus, sed etiam Divi Thomae loco citato; dicens enim quod pie credit potest quod Ecclesia circa canonizationem [non] potest errare, non affirmat illud tamquam certum quasi oppositum sit haereticum. Imo D. Antoninus, loco citato, exponit opinionem Divi Thomae esse quod licet circa hoc Ecclesia possit errare, eo quod fiat per attestaciones hominum quae fallere possunt, pie tamen credi potest quod Deus numquam illam permittet errare, quia talis determinatio per[f. 337v]tinet quodammodo ad Ecclesiam universalem. Et confirmatur haec conclusio, quia durum videtur quod circa hoc factum particulare<sup>x</sup>, videlicet hominem fuisse sanctum, quod neque ex scripturis neque ex traditionibus Ecclesiae deducitur, sed suppositis attestacionibus et informationibus humanis, in quibus non est evidentia, summus pontifex illud iudicat, sit certitudo fidei.

Sit 4.<sup>a</sup> conclusio: Non solum stultum, temerarium et scandalosum est affirmare aliquem eorum quos Ecclesia retulit in numerum sanctorum, sanctum non esse aut de illius sanctitate dubitare, sed etiam videtur erroneum deferendusque erit ad inquirentes qui id affirmaret et tamquam de haeresi suspectus, examinandus aut etiam puniendus, maxime his nostris temporibus

x. MS: particularem.

823. THOMAS AQUINAS, *Quodlibetum* 9, q. 8, a. ult.: ed. Spiazzi, Marietti 1956, p. 194 b.

824. ANTONINO DE FLORENCIA, O. P., *Summa Summarum*, 3 p., tit. 12, c. 8, § ult. [2]: ed. Lyon 1529, f. 89v b.

in quibus suspicandum est ab eo errore id provenire quo haeretici affirmant sanctos neque venerandos neque invocandos esse. Haec conclusio probatur, quia cum Deus sanctos miraculis manifestet tum in aliquale praemium ipsorum ultra illud quo illos coronat in alia vita, tum vel maxime in confirmationem sanctissimae fidei nostrae, et ut habeamus quorum exemplis excitemur, Ecclesiae quae ab Spiritu Sancto regitur et cuius summa est autoritas, non nisi praevio exactissimo et sufficientissimo examine, in quo hactenus falsitas nulla reperta est, eos referat in numerum sanctorum; certe non solum stultum et temerarium est in dubium revocare sanctitatem eorum aut aliquid in contrarium affirmare, sed etiam scandalosum aut erroneum. Infra ea enim quae de fide sunt in religione christiana, nescio quid aliud certius esse possit; nihil autem velle admittere nisi quod de fide sit aut arbitrari de omni alia re esse dubitandum certe ingens est stultitia. Stultus namque reputaretur qui quod a pluribus gravissimisque historiographis unanimi consensu narraretur, in dubium revocaret aut putaret esse falsum; quanto magis qui falsum aut dubium putaret. Quod autem Summi Pontificis [f. 338r] praevio tam exacto examine definitum est atque in re quam statuere ad ipsum ex officio spectat ne vel fideles tanquam sanctum colant qui sanctus non sit vel sane si quos Deus manifestat priventur cultu ipsis debito atque Ecclesia tam praeclaro testimonio quo fides nostra confirmatur alique ad illos imitandum excitantur certe res est in qua verisimile non est Deum aliquando permisurum ut Summus Pontifex erret, sed pie (ut Divus Thomas ait) credendum sit eum in ea non posse errare. Haec omnia confirmant verba illa quibus Summus Pontifex utitur in canonizatione sanctorum, quae Castrus refert 1.<sup>o</sup> De iusta haereticorum punitione, cap. 3<sup>225</sup>, et ita habet: Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis et exaltationem fidei catholicae atque christianae religionis augmentum, autoritate eiusdem Dei omnipotentis, Patris, Filii et Spiritus Sancti, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et nostra, de fratrum nostrorum consilio, decernimus bonae memoriae sanctum esse et sanctorum catalogo adscribendum ipsumque catalogo huiusmodi ascribimus. Hanc conclusionem expresse affirmant plures ex illis quos citavimus primo loco. Et certe non plus videntur velle plures ex illis quos citavimus se-

225. ALFONSO DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione*, l. 1, c. 6: ed. c., f. 19, 3.

cundo loco. Quod si obicias testimonium illud quod Augustini nomine citari solet: Multorum corpora veneramur in terris quorum animae cruciantur in infernis<sup>826</sup>, ex quo haberi videtur circa canonizationem sanctorum errare aliquando de facto; praeterquam quod hactenus non reperi tale testimonium in Augustino, neque citetur ubi id dicat ut credam illius esse, Respondendum est id dictum propter falsas reliquias quibus cum non sint eorum sanctorum quorum dicuntur esse, veneratio exhibetur ac si essent eorum sanctorum, non vero quod hi [f. 338v] qui ab Ecclesia in numerum sanctorum relati sunt, sancti non sunt. Unde merito in concilio Tridentino, sess. 25<sup>827</sup> decreto 2.<sup>o</sup> sancitum est ut nullae novae admittantur reliquiae sine approbatione episcopi. Illud vero hic advertam: quod quando aliquis bona fide veneraretur aliquem tamquam sanctum qui revera sanctus non esset aut aliquid tamquam reliquiam alicuius sancti cum tamen non esset, sed alicuius hominis peccatoris, actus ille esset virtutis dulciae et meritorius, si fieret ab existente in gratia, perinde atque actus quo quis bona fide adoraret hostiam nondum consecratam, elevatam a sacerdote faciente sacrum, esset actus patriae, ut supra art. 3, d. 3<sup>828</sup> explicatum est, idque propter rationem similem ei quam eo loco assignavimus.

His praehabitis, ut ad id, quod in titulo huius disputationis propositum est, deveniamus sit 5.<sup>a</sup> conclusio in ordine: Non quidquid a Summo Pontifice aut concilio approbatur esto celebretur a tota Ecclesia aut in officio divino recitetur, est de fide, quandoquidem multa non tamquam veritates fidei approbantur ex officio suo a Summo Pontifice aut concilio, sed tamquam pia, consona et expedientia ad bonam disciplinam Ecclesiae aut ad utilitatem fidelium, aut honorem Dei; quae tamen ita vel a Summo Pontifice vel a concilio approbata sunt non mediocris sunt autoritatis, maioris tamen vel minoris pro qualitate rei quae approbatur et modi quo approbatur. Ex re ergo quae approbatur et modo iudicandum est quando id quod approbatur non est de fide. Exempla huius conclusionis sunt. In primis atque in maximo quodam gradu autoritatis, sancti ab ecclesia canonizati, quosque celebrat

826. Molina no encontró ese texto en S. Agustín. Nosotros tampoco hemos logrado encontrarlo.

827. *Concilium Tridentinum*, sess. 25: COeD, 776, 10-12.

828. Véase la p. 198.

Ecclesia, ut dictum est; deinde officia divina, historiae sanctorum et alia huiusmodi ab Ecclesia approbata; praeterea libri aliquorum doctorum a Gelasio cap. Sancta Romana, 15 d.<sup>829</sup> et ab aliis Summis Pontificibus approbati, ut sunt opera Cypriani, Athanasii, Augustini, Hieronymi et caeterorum. Haec enim approbantur non quod sint de fide aut quod in illis nihil falsum contineatur, sed quod utilia sint Ecclesiae et absque pe[f. 339r]riculo magnaque cum utilitate legantur a fidelibus, unde merito approbantur<sup>y</sup> a Gelasio et secernuntur ab aliis libris apocryphis et qui praeiudicium afferre possent fidelibus. Plura alia approbantur aut confirmantur a Summis Pontificibus ex officio suo quae ex modis ipsis et rebus confirmandis constat tamquam pia, utilia et expedientia Ecclesiae approbari aut confirmari; licet autem ex tali approbatione aut confirmatione non levem pro qualitate rei et confirmationis auctoritatem consequantur, non tamen repugnat successu temporis minus utilia fieri aut reperiri quam putabantur.

6.<sup>a</sup> conclusio. In materiis in quibus in hac et praecedenti disputatione ostensum est Summum Pontificem aut concilium universale errare non posse, tunc solum definitio censenda est de fide quando aliquid definitur tamquam certum et indubitatum; secus autem quando solum definitur ut probabilius et consonantius rationi, Scripturis et dictis sanctorum aut fidei. Tunc enim licet res definita ex tali diffinitione non mediocrem acquirat auctoritatem, propterea quod Summus Pontifex aut concilium eam partem elegerit, attamen quod ita diffinitum est neque est de fide neque repugnat ei subesse falsum. Haec conclusio probatione non indiget; quod enim Summus Pontifex aut concilium non diffiniunt ut omnino certum sed solum ut consonantius et probabilius. non est quod nos ei ratione talis diffinitionis maiorem certitudinem tribuamus. Illustremus conclusionem exemplis. In clementina unica De Summa Trinitate et fide catholica § ultimo<sup>830</sup>, colligitur a Clemente V et concilio Viennensi tamquam

y. En el MS tachado «non quo sint de fide aut quod in illis nihil falsum contineantur».

× 829. C. I. C., c. 3, § 1-16, D. XV: ed. Friedberg, 1, 36s.

× 830. C. I. C., c. un., § 3, in Clementinis, De summa Trinitate et fide catholica, I, 1: ed. Friedberg, 2, 1134.

probabilior et dictis sanctorum et theologorum modernorum consonantior, opinio quae affirmat in baptismo tam parvulis quam adultis conferri informantem gratiam [f. 339v] et virtutes. Quia ergo eo in loco non diffinitur id tamquam omnino certum, sed tamquam probabilius, ex ea diffinitione non habetur quod illud sit de fide; postea tamen tamquam omnino certum atque de fide definitum est in concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7 et canone 11<sup>831</sup>. Hac eadem ratione quando in diffinitionibus Pontifices aut concilia utuntur verbo opinandi (nisi forte ex antecedentibus et sequentibus constet modestiae causa esse positum) in eave acceptione accipi, ut nulla innuatur formido partis oppositae, diffinitio non est de fide. Verba opinandi sunt: videtur, apparet, probabile est, probabilius iudicamus, consonantius iudicamus, et alia huiusmodi. Exempla autem saepe occurrent in iure canonico.

7.<sup>a</sup> conclusio. Quando in materiis in quibus ostensum est Summum Pontificem aut concilium universale non posse errare, aliquid diffinitur tamquam certum et indubitatum, tenendumque in tota Ecclesia sive diffinitio sit concilii universalis sive Summi Pontificis vel ex proprio motu vel respondendo consultationi illius, talis diffinitio est de fide. Notae autem quibus iudicatur definiri aliquid tamquam certum et indubitatum sunt: si dicatur esse de fide aut firmiter credendum vel tamquam dogma fidei accipiendum aut si dicatur contrarium esse haereticum aut repugnare Scripturae etc. Item si dicatur: contrarium affirmans tamquam haereticus puniatur vel habeatur aut vitetur; vel dicatur anathema sit; aut sit ipso facto excommunicatus vel sit condemnatus. Denique quoties ex professo aliquid huiusmodi a Summo Pontifice aut concilio universali definitur, si non sit unde coniciatur aliquid non tamquam omnino certum definiri, definitio censenda est de fide sive opponantur huiusmodi notae sive non.

Canus, 5 De locis, cap. 5, q. 4<sup>832</sup> inquit quod tametsi in concilio Tridentino, sess. 13, canone 11<sup>833</sup>, excommunicetur qui docuerit, praedicaverit, etc. opinionem illam qua affirmatur a Caetano ad sumendam Eucharistiam non esse necessariam confessionem peccati mortalis, sed satis esse contritionem cum proposito

831. *Concilium Tridentinum*, sess. 6, c. 7 et cn. 11: COeD, 873; 679, 37-40.

832. CANO, *De locis*, l. 5, c. 5, q. 4: ed. Serry c., 1, 358.

833. *Concilium Tridentinum*, sess. 13, cn. 11: COeD, 698, 20-28.

[f. 340r] illud postea confitendi, non est tamen opinio illa tamquam haeretica damnata in canone, sed solum tamquam improbabilis opinio, periculosa ac perniciosa. Atque huius rei se testem offert qui in concilio interfuit, et novit intentionem patrum non fuisse damnare eam opinionem tamquam haeticam. Deinde id ostendit ex canone ipso. Cum enim primo loco tamquam diffinitio fidei dictum sit: "si quis dixerit solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum, anathema sit", postea ad innuendum id quod sequebatur non esse diffinitionem fidei mutata forma subiunctum est: "et ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat".

Haec tamen doctrina Cane non placet. Licet enim non dubitem post diffinitionem alicuius opinionis tamquam periculosae et improbabilis praecipere posse sub poena excommunicationis ipso facto ut nullus deinceps eam docere, praedicare aut defendere praesumat, unde quando ex decreto constaret diffinitionem non esse de fide, appositio huiusmodi poenae non argueret diffinitionem esse de fide, attamen in proposito certum existimo cum aliis qui eidem concilio interfuerunt, diffinitionem esse de fide; tamquam res enim certa et indubitata diffinita est, ut patet tum ex canone ipso, tum etiam ex capite 7 praecedenti. Quare licet opinio Caietani, quatenus fuit ante illam diffinitionem, iudicata non fuerit tamquam haeretica quia res haec antea diffinita non est; quod tamen ille asseruit haeticum iudicandum est post illam diffinitionem. Mutatio autem fuit, quia tunc primum declaratum est ab Ecclesia tamquam certum in fide confessionem sacramentalem necesse esse praemittendam [f. 340v] ante sumptionem Eucharistiae quando est conscientia peccati mortalis; quod vero primo loco diffinitum fuit satis patebat esse haeticum ante ipsam diffinitionem.

Illud ultimo advertit circa hanc materiam quod licet id quod ex professo intenditur definiri in unaquaque huiusmodi diffini-

tionum quas diximus esse de fide, de fide sit, quod tamen vel ad confirmationem vel ad removendum objectionem aut ad amplificationem obiter et quasi ex transcurso dictum est non est censendum esse de fide, propterea quod in huiusmodi diffinitionibus appositum sit. Multa enim obiter (maxime a Summis Pontificibus in suis diffinitionibus) ad hunc modum dicuntur quae nunquam ad fidem pertinent, neque ibi intenduntur definiri aut alibi definita sunt.

Ex dictis facile erit intelligere non omnia quae continentur in voluminibus conciliorum neque etiam iuris canonici esse de fide. Quia vero commodius persequemur explicata autoritate conciliorum universalium ex parte capituli, tum etiam conciliorum provincialium et dioecesanorum praemissaque disputatione sequenti id eo usque differatur.

#### Solutio quarundam objectionum contra conclusionem disputationis 14.

#### Disputatio 16.

Post ea quae dicta sunt disputatione praecedenti, facilius diluuntur quae obiici possunt adversus conclusionem disputationis decimae quartae. In primis obiicitur Celestinum III errasse in eo quod definierit altero coniugum christianorum lapsa in haeresim, alterum posse transire ad secundas nuptias, dissoluto priori matrimonio, ut patet ex capite Quanto, de divortiiis<sup>834</sup>, cuius contrarium definit Innocentius III illo eodem capite<sup>835</sup> et tenetur in Ecclesia; summus ergo Pontifex errare potest in rebus fidei et morum diffiniendis. Ad hoc argumentum respondendum est Celestinum non id diffinivisse tamquam [f. 341r] certum et indubitatum, sed id respondisse tamquam opinionem, quod satis innuit Innocentius III capite illo Quanto citato, dicens: "licet quidam praedecessor noster aliter sensisse videatur". Sensisse, ait, quod non plus quam opinionem sonat. Imo et Canus, 6 De locis, [c. 8], ad 2 ait<sup>835</sup>: nec Innocentium III diffinivisse oppositum nisi tamquam opinionem, tametsi verissimum sit quod diffinivit. Nam verbo opinandi utitur dicens: Non credimus quod in

× 834. *C. I. C.*, c. 7, X, de divortiiis, IV, 19: ed. Friedberg, 2, 722s.

835. *CANO. De locis*, l. 6, c. 8 ad 2: ed. Serry c., 1, 432.



hoc casu dicit is qui relinquitur vivente altero possit ad secundas nuptias convolare. Et certe ut de decretalibus epistolis, scilicet Pontificum, sub aliorum iudicio dicam quod sentio in illis in quibus directe non tam diffinitur quid fide tenendum et credendum sit, quam quid iudicandum sit in tribunali ecclesiastico; vel eventus de quibus consulitur Summus Pontifex quam saepissime esto materia sit gravis non videntur respondisse quasi quod respondent sit certum in fide aut tale ab eis iubeatur, sed quid consonum et verum videatur, ac proinde in iudiciis ac regimine Ecclesiae dum aliud non constat. Neque enim iudicia omnia aut regulae regiminis Ecclesiae certa omnino esse possunt, cum saepe id non patiatur materia cum longiori ad id moderamine indigeat ut tamquam certum omnino aliquid constituatur quam dilationem non patiuntur iudicia Ecclesiae aut eventus contingentes, ut patiuntur res fidei in quibus solum controvertitur quid credendum sit et ex eventus parte constat. Quare in huiusmodi rebus quae ad iudicia spectant merito ad regimen Ecclesiae quam saepissime respondent Pontifices quod verum, convenientius aut probabilius videtur atque ob id tenendum re diligenter examinata per se aut doctores ac praesides ad id deputatos; neque res humanae et regimen ecclesiasticum saepe aliud patitur. Sicut vero huiusmodi diffinitiones gravissimae autoritatis, utpote a capite Ecclesiae et Vicario Christi prae[f. 341v]vio diligenti examine emanantes. Quare multo magis illis standum est in regimine et doctrina Ecclesiae quam decretis et legibus civilibus in regimine politico, ingensque temeritas esset vel aliquam negare vel ab ea discedere quosque per Summum Pontificem contrarium diffinitur, quod rarissimum fuit nec umquam erit in Ecclesia Dei. Qui autem diligenter evolverit et expenderit huiusmodi epistolas decretales, certe ex modo ipso definiendi aut ex modis quos saepe aut non patiuntur aut non facile certam ac infallibilem diffinitionem inveniet, plures scilicet Pontifices non aliud intendisse quam id quod dictum est. Quare nisi ex pondere verborum decretalis epistolae et re ipsa constet intentionem Pontificis esse diffinire aliquid omnino certum et de fide. inclinandum est non eam fuisse mentem Summi Pontificis, sed solum ad regimen et doctrinam Ecclesiae statuere quod tamquam verum. consonantius et probabilius lumini naturali, Scripturis aut dictis sanctorum firmum tenendum est. Celestinus sciens ex Paulo, altero coniugum infidelium transeunte ad fidem, et altero nolente transire cum

illo aut non sine iniuria Salvatoris eum qui convertitur ad fidem posse transire ad secundas nuptias dissoluto priori matrimonio, facile potuit iudicare tamquam consonantius Scripturis eandem esse rationem quando altero coniugum fidelium deserente fidem, alter manet; atque idem statuere et respondere de remanente. Re tamen attente considerata dispar est ratio, ut Innocentius ostendit cap. illo de divortiiis<sup>836</sup>. Diffinitio Celestini habebatur quondam in decretalibus cap. Laudabilem<sup>837</sup> quod est Celestini de conversione infidelium, ut affirmat glossa cap. Quaesivit, de divortiiis<sup>838</sup>, Hostiensis<sup>839</sup>, Adrianus<sup>840</sup>. Et Castrus, 1.º libro Adversus haereses, cap. 4<sup>841</sup> affirmat se eam vidisse in volumine quodam antiquo decretalium.

Alia similia oblici solent quae praeter hanc communem fere [f. 342r] omnibus solutionem, alias etiam egregias solutiones habent, quas videre poteris apud Canum, 6 De locis, cap. ultimo<sup>842</sup>, et apud alios. Quia vero singulae in suis propriis materiis adducuntur et solvuntur in Theologia, non est quod in illis modo immoremur. Sat sit viam quandam communem pluribus eorum aperuisse et satis est in genere ostendisse in quo gradu auctoritatis variae epistolae decretales habendae sint.

**De auctoritate conciliorum ex parte capituli  
tantum; tum etiam de auctoritate conciliorum  
provincialium et dioecesanorum.**

**Disputatio 17.**

Explicata auctoritate Summi Pontificis in rebus fidei et morum diffiniendis, facile erit intelligere quanta sit auctoritas conciliorum quae in titulo posita sunt.

× 836. Véase la nota 834.

× 837. C. I. C., c. 1, X, de conversione infidelium, III, 33: ed. Friedberg, 2, 587s.

838. Las Glosas de la edición de Lyon 1584 (cols. 1229s; 1490s) no dicen nada de lo que afirma Molina en el texto.

839. HOSTIENSIS [Enrique de Suse]. Ni en la *Summa aurea*, Turín 1579, ni en *Lectura in quinque libros Decretalium*, París 1512, hemos podido encontrar lo que se afirma en el texto.

840. HADRIANUS DEDEL. No hemos podido verificar esta cita.

841. ALFONSO DE CASTRO, *Adversus omnes haereses*, l. 1, c. 4: ed. c., f. 9 a A.

842. CANO, *De locis*, l. 6, c. 8: ed. Serry c., 1, 430-452.

Sit ergo prima conclusio. Concilia universalis ex parte capituli tantum, hoc est in quibus praeesit Summus Pontifex congregatis episcopis et universa Ecclesia, errare non possunt in rebus fidei et morum definiendis, si tamquam indubitatum aliquid huiusmodi definiunt. Hoc patet, quia huiusmodi definitiones sunt Summi Pontificis; ostensum est autem Summum Pontificem non posse errare in huiusmodi definitionibus, sed certas esse in fide.

2.<sup>a</sup> conclusio. Concilia provincialia, si confirmata non sint a Summo Pontifice possunt errare in fide. Quare licet non mediocri sint auctoritatis maioris vel minoris prout plures doctores et sanctiores in eis convenerint ex eisque probabile argumentum eruatur ad res fidei confirmandas, attamen non propterea aliquid est certum in fide quod ab ipsis definiatur. Haec est notissima et receptissima, quia nullibi huiusmodi conciliis promissa invenitur assistentia Spiritus Sancti ad non errandum. Unde plura concilia provincialia erraverunt ut Carthaginense [f. 342v] sub Cypriano, 8.<sup>o</sup> epistolarum<sup>843</sup> definiens baptizatos ab haereticis esse iterum baptizandos. Unde Carranza, in Summa, in concilio Carthaginensi, sub Cornelio Papa<sup>844</sup>; Augustinus, De baptismo contra Donatistas, lib. 1, cap. 18<sup>845</sup>; concilium Aquisgranum citatum<sup>846</sup>, Iliberitanum<sup>847</sup>, Gangrense<sup>z 848</sup>, iuxta probabiliorem opinionem, et quaedam alia erraverunt. De huiusmodi conciliis intelligitur illud Isidori, cap. 15<sup>849</sup>: quotiescumque in gestis a conciliis discors sententia inveniretur illius concilii sententia magistri teneantur cuius antiquior et potior exstat auctoritas; sermo enim erat de concilio provinciali. Illud vero Augustini, De baptismo contra Donatistas, lib. 2, cap. 3<sup>850</sup>: pleniora saepe concilia priora a posterioribus emendari, quamvis quidam velint etiam intelligere de

z. MS: Granatense.

843. Véase la nota 296. El Concilio Cartaginense puede verse en Concilio omnium...tomus primus, e. c., p. 143 a-149 a.

844. CARRANZA, BARTOLOMÉ DE. *Summa Conciliorum*: ed. c., p. 32.

845. AUGUSTINUS. *De baptismo contra Donatistas*. l. 1, c. 18, 28: CSEL 51, 171.

846. No indica Molina en el texto a qué se refiere. El Concilio de Aquisgran puede verse, por ejemplo en: *Conciliorum omnium...tomus secundus*, pp. 638-703.

847. Del Concilio de Elvira, véase ib. t. 1, pp. 282 b-286 b.

848. Puede, quizá, tratarse del Concilium Gangrense. Puede verse en JOVER, *Sanctiones synodicae... Secunda classis*, f. 5v-6r.

849. ISIDORUS. *Etymologiarum*.

850. AUGUSTINUS, *De baptismo*, l. 2, c. 3, 4: CSEL 51, 178, 23-26.

conciliis provincialibus; intuenti enim Augustinum clarum apparebit eum loqui de generalibus; loquitur vero non de decretis fidei, sed de decretis pertinentibus ad bonum regimen Ecclesiae, addit enim: "cum aliquo experimento aperitur quod clausum erat". Res autem fidei non experimento aperiuntur, sed ea quae ad regimen pertinent. Forte per pleniora intelligit et quae ex pluribus provinciis congregata sint, pluribus metropolitanis convenientibus quaeque interdum dicuntur concilia generalia non simpliciter qualia sunt quae non possunt errare, sed secundum quid, ut ex tota Africa aut ex tota Hispania. Castrus, 1.<sup>o</sup> lib. De iusta haereticorum punitione<sup>851</sup>, affirmat decreta fidei conciliorum provincialium de quibus loquimur, si postea Ecclesia non iudicat esse ab omnibus tamquam vera et indubitata fide tenenda, quia cum non sint per alia concilia correcta tacito consensu totius Ecclesiae sunt confirmata; est tamen singularis sententia et omnino reiicienda: neque enim tam facile admittendum est aliquid esse de fide ut satis sit Ecclesiam non quid dicere ad hoc ut quod constitutum est a non habente assistentiam ad definiendum an sit de fide. Sic enim et articuli parisienses qui multa damnant tamquam errores in fide essent hodie de fide, hoc ipso quod aliquibus non est contradictum; quod est ridiculum. Saepe enim non quod dicitur de negligentia aut inadvertentia loquitur, non tanti sit autoritas proferentis, vel quia non est improbable esse de fide retinendum diligenter, examinata inveniri poterit non solum non esse de fide, sed et cum fide pugnare.

3.<sup>a</sup> conclusio. Concilia provincialia a Summo Pontifice vel a concilio generali confirmata errare non possunt in fide. Haec probatur quia Summus Pontifex et concilium universale errare non possunt in fide. Cum ergo confirmatio Summi Pontificis aut concilii universalis diffinitioni aequipolleat, quando quidem, perinde est Summum Pontificem confirmare concilium universale ac omne aliquid diffinire, fit ut concilia provincialia a Summo Pontifice aut a concilio generali confirmata errare non possint in fide. Intelligendum vero hoc est quando aliquid in eis ut certum et indubitatum definitur quod proinde ut tale intelligitur confirmatum a Summo Pontifice aut concilio universali. De huius-

851. ALFONSO DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione*, l. 1, c. 5: ed. c., f. 16, col. 1.

modi concilio intelligendum est potissimum quod habetur in septima Synodo, act. 3, in epistola Theodori et orientalium<sup>852</sup> ab eadem synodo probata; tum et quod habetur octava Synodo, act. ultima, canone 1.<sup>o</sup><sup>853</sup>, ubi et recipiuntur regulae localium, id est, provincialium concilliorum.

4.<sup>a</sup> conclusio. Episcopalia seu dioecesana concilia suam habent auctoritatem, inferiorem tamen ea quam habent provincialia. Nullum autem eorum scimus hactenus confirmatum a Summo Pontifice praeter Complutense quod a Xysto IV confirmatum est ut in superioribus est habitum<sup>854</sup>, ac proinde de fide sunt quae in illo tamquam dogmata fidei sunt diffinita. Cum vero adversus quasdam haereses insurgentes, iussu Summi Pontificis, fuerit congregatum praeside archiepiscopo toletano atque convocatis viris [f. 343v] doctissimis licet non episcopis provinciae, huiusmodi concilium non est de numero dioecesanorum quae communiter celebrari solent. Summam et approbationem illius invenies apud Carranzam, ante concilium Lateranense ultimum<sup>855</sup>.

Concilia generalia ex parte capituli tantum haec fere videntur fuisse: Concilium Romanum sub Cornelio contra Novatianos; fuit ante concilium Nicaenum. Idem Cornelius in concilio sacerdotum Romae congregato<sup>a</sup> revocavit decretum Cypriani in concilio Carthaginensi de rebaptizandis ab haereticis baptizatos. Item concilium Romanum sub Sylvestro in quo approbavit acta in concilio Nicaeno. Concilia Romana sub Iulio I, Romae; sub Hilario Papa; aliud sub Felice III; aliud sub Gelasio, in quo tradit catalogum librorum canonicorum; variae<sup>b</sup> synodi sub Simacho, Romae, congregatae et concilium Lateranense sub Martino Papa, quindecim episcoporum. Quo loco advertit a Gratiano<sup>856</sup> tribui huic concilio multos canones qui non sunt illius, sed sunt de numero illo-

a. MS: congregatum.

b. MS: varii synodi sub Simacho Romae congregati.

⌋ 852. *Concilium Nicenum II*, act. 3, Epistola Theodori et orientalium: CARRANZA, *Summa Conciliorum*, ed. c., p. 494.

⌋ 853. *Concilium Constantinopolitanum IV*, act. ult., cn. 1: COeD, 167.

⌋ 854. Véase la nota 798.

855. CARRANZA, *Summa Conciliorum*, ed. c., pp. 621-625: Bulla Sixti IV Papae.

✕ 856. GRATIANUS. Véase la edición del *Decretum Gratiani*, Roma 1582, cols. 101-102.

rum 85 canonum qui collecti sunt a Martino episcopo Bracharensi ex variis synodis graecis; quos canones invenies secundo tomo conciliorum post concilium 2 Bracharense et ante VII Toletanum<sup>857</sup>, unde non sunt tantae autoritatis quantae sunt canones conciliorum Lateranense sub Martino Papa, quod fuit quindecim episcoporum, et universale ex parte capitis, et proinde non potest errare in rebus fidei et morum pro indubitatis definiendis. Duo alia concilia celebrata Romae, praeside B. Gregorio, invenies secundo tomo conciliorum<sup>858</sup>, et alterum eorum refertur latius quarto libro epistolarum Gregorii, epistola 44<sup>859</sup>. Item concilium Remense sub Eugenio III universale fuisse ex parte capitis innuit Bernardus sermone 8<sup>860</sup> super Cantica; innuit enim illi praefuisse Eugenium vel certe ab illo confirmatum in quodam alio concilio Romae celebrato cuius meminit Eugenius apud [f. 344r] Bernardum epistola 164<sup>861</sup>. Forte plura alia similia concilia fuerunt, quae non extant in tomis conciliorum.

Ut vero de conciliis provincialibus quae approbata sunt a Summo Pontifice vel concilio universali, aut de quibus probabilitas vel coniectura est approbata esse, nonnihil etiam dicamus, in primis Ancyranum seu Anchiritanum a Nicena synodo confirmatum fuit, ut refert Hermeus in graeco volumine Historiae Ecclesiasticae<sup>862</sup>, et graece allegatum est a Latinis patribus in concilio Florentino, sess. 7<sup>863</sup>; fuit etiam approbatum in sexta Synodo, in altero canone<sup>864</sup>, praeside Leone IV, cap. ° de libellis, 2<sup>865</sup>, inter concilia approbata illud connumerat. Eo enim capite Concilia approbata connumerare videtur, ut ex fine capitis patet. Quantum autem argumentum sit concilium aliquod approbatum

c. El MS repite cap.

857. *Conciliorum omnium...tomus secundus*, e. c., p. 221ss.

858. *Ib.*, p. 181 b.

859. GREGORIUS I, *Registrum epistolarum*, l. 4, ep. 44: Mansi, 6, 915s. ?

860. BERNARDUS CLARAVALLENSIS, *Sermo 80 super Cantica*: ed. *Opera omnia*, t. 2, Roma 1958, 282, 8-9 (PL 183, 1170 B).

861. No hemos podido encontrar esta cita de Molina.

862. Aparece Hermeus en la sess. 7 del Florentino (celebrada en Ferrara). Cfr. *Conciliorum omnium...tomus tertius*, p. 401 a. De una Historia eclesiástica escrita por él, no hemos podido encontrar nada. *ND*

863. Véase la nota anterior.

864. *Concilium Constantinopolitanum III*, cn. 2: CARRANZA, *Summa Conciliorum*, p. 397.

865. *C. I. C.*, c. 1, D. XX: ed. Friedberg, 1, 65s.

fuisse in sexta Synodo, in altero canone illo 2, dicemus inferius cum fuerit sermo de conciliis Carthaginensium. Gangrense in sexta Synodo, canone 2<sup>864</sup> recipitur et capite De libellis, 2.<sup>o</sup> 865. Deinde connumeratur a Leone quae videntur approbata. Antiochenum I recipitur in sexta Synodo, in altero 864. Et Carranza 866 refert per Dionysium papam approbatum fuisse, ut constat ex Eusebio; in Eusebio tamen nihil tale reperio ubi ipse citat, neque alibi. Sardicense, quod ut ex dictis in superioribus patet, pene universale concilium fuit, confirmatum est; ut tale enim recipitur a Nicolao papa, cap. Quod dicitis, 16 d. 867. Deinde a Leone IV, capite De libellis 2<sup>865</sup>, deinde et a synodo in libello 868. Milevitanum, non in Melita insula ut putavit Ioverius 869, sed in civitate quadam Numidiae, provinciae Africanae. Et quoddam aliud Carthaginense concilium contra Pelagium et Celestium quodcumque illud sit, confirmata esse ad Innocentio I, patet ex 1.<sup>o</sup> tomo conciliorum, epistola 25 et 26 Innocentii 870, et ex epistolis Augustini, 2 tomo epistola 9 q. 1, 2 et 3 usque ad finem 871. Confirmata praeterea sunt a Zosimo papa, ut affirmatur in vita ipsius, 1.<sup>o</sup> [f. 344v] tomo conciliorum 872 et affirmat Augustinus, 2.<sup>o</sup> libro Retractationum, cap. 3 873. Confirmata vero videntur fuisse in quadam epistola Zosimi ad totius orbis episcopos Galliae 874, in cuius capite 10 decreta synodi Carthaginensis quasi propria Sedis Apostolicae reputat. Porro gesta concilii Carthaginensis adversus Pelagium et Celestium quae ab iis duobus pontificibus confirmata sunt, in nullo septem conciliorum carthaginensium reperiuntur hodie, reperiuntur tamen in concilio<sup>d</sup> Africano 875. 1.<sup>o</sup> tomo con-

d. MS: in conciliis Africano.

866. CARRANZA, *Summa Conciliorum*, ed. c., p. 97.

× 867. C. I. C., c. 14, D. XVI: ed. Friedberg, 1, 50.

868. No hemos podido descifrar esta cita.

869. JOVER, FRANCISCO. *Sancciones ecclesiasticae...*, classis secundae, sec-  
tio prima: ed. c., f. 24v a.

870. INNOCENTII I. *Epistola 25 ad Concilium Carthaginense: Conciliorum omnium...tomus primus*: ed. c., p. 471ss; *Epistola 26 ad Concilium Milevitanum*: ib., p. 474s.

○ 871. AUGUSTINI. *Epistola 175*: CSEL 44, 654, 24: 655-662.

872. ZOSIMI. Véase: *Conciliorum omnium...tomus primus*, p. 487 a-b. P  
Habla sólo del Cartaginense.

○ 873. AUGUSTINI. *Retractationum* I, 2, c. 73: CSEL 36, 185, 19-186, 9.

874. ZOSIMI. *Epistola ad episcopos Galliae*, c. 10: PL 20, 694 A. Aquí P  
figura como de la Trac[ta]toria Zosimi, fragmento 2.<sup>o</sup>

○ 875. *Concilium Africanum: Conciliorum omnium...tomus primus*, p. 500.  
El título dice así: «Tituli canonum diversorum Conciliorum Africanae provin-  
ciae numero 105». Y en la p. 517 b y siguientes se encuentran los capítulos 96  
y siguientes.

ciliorum, maxime a capite 96. Est vero concilium Africanum collectio quaedam canonum diversorum conciliorum Africanorum, ut patet intuenti titulum qui praeponitur ° toti collectioni canonum et praeter varios titulos qui diversis sessionibus illorum canonum praeponuntur tamquam diversorum conciliorum. Facta est autem huiusmodi collectio aut in septimo conciliorum carthaginiensium, ut Carranza in fine conciliorum Carthaginiensium 7.º 876, aut ut videtur colligi ex primo tomo conciliorum, in prioribus conciliis africanis. Hispane post septimum concilium Carthaginense appellatum f est concilium Africanum et non Hipponense, quia est quasi summa et collectio conciliorum in Africa celebratorum. Illius ergo et canones concilii Milevitani et diversorum conciliorum Carthagine celebratorum puto contineri. Quia vero concilium Carthaginense, quod ab Innocentio confirmatum est, ante Milevitanum fuit celebratum et in Milevitano eadem decreta diffinita sunt, ut patet ex epistola Celestini citata 877, quia illos eosdem canones eodem ordine quo reperiuntur in concilio Milevitano recitat tamquam concilii Carthaginensis, propterea credo a concilio Carthaginensi, quodcumque illud fuit, ablatos fuisse ne bis reperirentur. Adde quod in concilio etiam Africano continentur si qui alii vel in illo Carthaginensi vel in aliquo alio desiderantur.

Carranza, in sua Summa, in fine concilii quarti Carthaginensis 878, [f. 345r] affirmat concilia omnia Carthaginensia confirmata esse a sexta Synodo in Trullo \* canone 2, et ob id vult illa omnia esse confirmata. Cano, 2 De locis, cap. 9, in probatione secundae conclusionis 879; et 5 De locis, cap. 4, conclusione 6 in eadem videtur esse sententia non solum propter Trullanam synodum, sed etiam quia putat concilia omnia Carthaginensia confirmata esse a Leone IV, cap. De libellis, 20 d. Castrus, Adversus haereses, verbo Papa, haeresi 1.ª 880, affirmat concilia III et IV

e. MS: proponitur.

f. MS: appellatoque.

g. MS: in Lucello.

876. CARRANZA, *Summa Conciliorum*, p. 178.

877. CAELESTINUS I, *Epistola ad episcopos Galliae: Conciliorum omnium...* P  
tomus primus, p. 523 b.

878. CARRANZA, *Summa Conciliorum*, p. 148.

879. CANO, *De locis*, l. 2, c. 9, prob. 2 concl.: ed. Serry c., 1, 68; l. 5, c. 4, concl. 6: ib., 333.

880. ALFONSO DE CASTRO, *Adversus omnes haereses, v. Papa, haeresis 1.ª*: ed. c., f. 342 B.



Carthaginensia confirmata esse a Zosimo papa, non tamen citat ubi aut unde id sciat. Thelense, quod in Africa celebratum esse et confirmatum ait a Syricio<sup>h</sup> papa in suis decretis, 1.<sup>o</sup> tomo conciliorum<sup>881</sup>. Reliqua vero concilia africana, ait, confirmata esse per Bonifacium. At vero in primis quod attinet ad Trullanam synodum sub dubio relinquimus an sit irrefragabilis autoritatis. Deinde vero synodus illa non approbat synodos in plurali Carthagine celebratos, sed canones a patribus constitutos, neque de pluribus conciliis Carthagine, sed de uno videtur loqui, perinde atque loquitur cum de canonibus constitutis in aliis civitatibus ibi connumeratis verba facit. Unde Gratianus, capite Quoniam Sanctae, d. 16<sup>882</sup> referens eandem approbationem, synodum Carthaginensem refert in singulari. Praeterea ibi simpliciter approbantur opuscula (ut Gratianus loco citato exponit) Athanasii, Basillii, Gregorii Niseni<sup>i</sup> et plurium aliorum, et approbatur in Africa sub Cypriano celebratum, quod erravit (non tamen intelligendum est approbare quoad id in quo erravit, sed quoad reliqua) quae solum videntur approbari ut pia et utilia ad disciplinam et regimen Ecclesiae, ut simpliciter dictum est de approbatione Gelasii, capite Sancta Romana<sup>883</sup>. Unde approbatio illa non est de qua nunc loquimur, quae reddat certum concilium [f. 345v] non errasse in fide. Haec quod attinet ad approbationem sextae Synodi. Deinde vero ad id quod adducitur ex capite De libellis, dicendum est ibi non esse sermonem de conciliis Carthaginensibus qua videntur constituta in uno concilio perinde atque reliqui canones aliorum locorum quae ibi commemorantur. Illud vero addam: quod si concilia omnia quae ibi numerantur confirmata sunt, concilium etiam Africanum quod ibi numeratur confirmatum est; atque hoc est argumentum septimum concilium Carthaginense, saltem in Africano tamquam in summa quadam in quo omnia continentur, esse confirmatum. Quod vero attinet ad illa quae Castrus affirmat, nescio in primis unde sciat Zosimum duo illa concilia approbasse: deinde in decretis suis non invenio appro-

h. MS: Cyrillo papa.

i. MS: Gratiani Niceni.

U 881. *Concilium Telense*: Conciliorum omnium, tomus primus, p. 420s. Se dice que la carta de Siricio fue leida en el Concilio; pero ya había muerto el Papa Siricio y el Concilio se celebró en tiempos de Zósimo.

× 882. C. I. C., c. 7, D. XVI: ed. Friedberg, 1, 44s.

× 883. C. I. C., c. 3, D. XV: ed. Friedberg, 1, 36.

bationem concilii Thelensis, sed solum damnationem Ioviniani epistolae quae in eodem concilio fuit lecta, ut ex ipso concilio patet; unde in annotatione ad concilium Thelense, 1.<sup>o</sup> tomo conciliorum dicitur Syricium<sup>884</sup> ante concilium Thelense obiisse<sup>884</sup>. Id etiam quod Castrus affirmat, reliqua videlicet concilia Africana a Bonifacio fuisse confirmata, nescio unde sciat; forte illud conicit ex eo quod legati Bonifatii interfuerunt sexto concilio Carthaginensi. Verum cum non satis convenerit inter ipsos et concilium, ut ex ipsomet concilio patet, debilis admodum est coniectura.

Ut ergo in summa colligamus quod in hac perplexa materia sentio, concilium Milevitanum et quoddam aliud Carthaginense quod mihi non constat quod fuerint in plurali approbata sicut ab Innocentio et Zosimo, atque illius concilii Carthaginensis tamquam cuiusdam partis meminit Celestinus, ut patet intuenti epistolam illam citatam<sup>885</sup>, meminit et Beda, cap. 6 Synodi, § 1.<sup>o</sup> adnot 16 d.<sup>886</sup>, et Gratianus cap. [f. 346r] Quoniam sanctae eadem distinctione<sup>887</sup>. De reliquis Carthaginensibus non video unde constet esse approbata in seipsis; imo cum dissidium fuit inter legatos et concilium sextum carthaginense non videntur a Bonifatio approbata. De concilio Africano quod sit approbatum, nullam aliam video coniecturam quae plus urgeat quam esse confirmatum a Leone IV cap. De libellis. Si ergo in materia de libellis canonicis affirmavi tamquam certum concilium Carthaginense III esse confirmatum<sup>888</sup>, sequutus sum sententiam eorum qui id affirmabant tamquam certum, nondum re hac in propriis fontibus examinata. Neocaesariense concilium computatur etiam inter concilia de quibus ibi fit mentio a Leone IV cap. de libellis<sup>889</sup> et approbatur a Trullana synodo<sup>890</sup>. Laodicenum approbatur a Trullana synodo<sup>891</sup>. Toletanum I confirmatum videtur a Leone papa, ut ex capite 22

j. MS: Syrenensem.

C 884. Véase la nota 881, pp. 420 a y 421 a.

885. Véase la nota 877. ?

< 886. C. I. C., c. 9, D. XVI: ed. Friedberg, 1, 45.

< 887. Véase la nota 882.

888. Véase ArchTeolGran 40 (1977) 125. Corresponde al comentario a la II.II., q. 1, a. 1 et 2, disp. 7, 2 p.

< 889. C. I. C., c. 1, D. XX: ed. Friedberg, 1, 65s.

890. Concilium in Trullo: ed. Joannou, 1/1, 122.

C 891. Ib., p. 122.

eiusdem concilii colligi videtur<sup>892</sup>. De Arelatensi primo et Hispanensi 1.º affirmat Carranza<sup>893</sup> quod sint confirmata, ductus ex prooemiis ipsorum in quibus ad Romanum Pontificem diriguntur; sed meo iudicio non est sufficiens coniectura. Item non puto sufficientem coniecturam esse quod concilium aliquod iussu Summi Pontificis sit celebratum (ut celebratum fuit quoddam in Gallia sub Zacharia Papa tempore Caroli Magni) ad hoc ut credatur confirmatum. Haec sunt concilia provincialia de quibus certitudo vel probabilitas aut coniectura est esse confirmata, reliqua vero confirmata non videntur.

Ex hactenus dictis facile erit intelligere quae sint de fide in tomis conciliorum et quae non, tum etiam in voluminibus iuris canonici in quibus textus eam habent auctoritatem quam habent hi quorum sunt autores, ut textus [f. 346v] Gratiani eam auctoritatem habent quam habet Gratianus qui decretum compilavit; textos Augustini, Hieronymi, Cypriani, Bedae et aliorum doctorum habent auctoritatem quam in suis scriptis habent iidem autores. Textus iuris civilis qui interdum in voluminibus iuris canonici inseruntur habent auctoritatem quam habent iura civilia. Textus conciliorum aut Summorum Pontificum habent auctoritatem quam habent concilia aut Summi Pontifices in suis definitionibus. Cum vero satis explicatum sit quando definitiones conciliorum et Pontificum de fide sint et quando non, non est quod aliud hac in parte addamus.

### Utrum generale concilium sit supra Papam.

#### Disputatio 18.

Dictum est de potestate conciliorum in rebus fidei et morum definiendis, tum etiam de potestate Summorum Pontificum. Superest ut conferamus potestatem Summi Pontificis cum potestate concilii. Gerson, in tractatu De potestate ecclesiastica, potissi-

892. CARRANZA, *Summa Conciliorum*, p. 151. La confirmación la trae al comienzo, con estas palabras: «Concilium Toletanum I, 19 episcoporum [...] est provinciale, sed confirmatum auctoritate Leonis Papae et eius mandato celebratum».

893. CARRANZA, *Summa Conciliorum*, pp. 75 y 300.

num consideratione 4, 10, 11 et 12<sup>894</sup>; Almain, De potestate papae et concilii, cap. 1<sup>895</sup>; Patres congregati in concilio Basiliensi<sup>896</sup> et plures alii ad quorum sententiam accedere videntur Driedo, 4 libro De ecclesiasticis dogmatibus, capite 4 in fine<sup>897</sup>, et Bessario, in concilio Florentino, sess. 9<sup>898</sup> in ea fuerunt sententia non solum concilium congregatum autoritate Summi Pontificis, sive in eo praesit Summus Pontifex sive non, esse supra Papam indubitatum atque catholicum posseque illi praescribere leges circa usum suae potestatis quas teneatur Summus Pontifex servare; sed et congregatum absque autoritate Summi Pontificis, imo et ipso renuente hoc ipso quod scandalosus et incorrigibilis esset, abuteturque sua potestate, aut requisitus congregare concilium renuerit [f. 347r] contumaciter in perniciem. Unde hi voluerunt autoritatem et potestatem esse in Ecclesia, et in concilio universaliter legitime congregato, quod Ecclesiam universalem repraesentat, non vero in Summo Pontifice; dummodo vero concilium universale legitime sit congregatum, regulariter requiri quod autoritate Summi Pontificis congregetur et continuetur. At vero casu quod Summus Pontifex haereticus esset et tempore schismatis quando non constaret quis esset Summus Pontifex, tum etiam quando esset scandalosus et incorrigibilis, abutereturque autoritate, aut requisitus renuerit contumaciter congregare concilium in perniciem Ecclesiae, atque aliis similibus eventibus, dicunt posse legitime congregari aut continuari renuente Summo Pontifice, Pontificemque manere sublatum et inferiorem huiusmodi concilio, ut ab ipso possit iudicari et puniri, imo et deponi, et non solum leges accipere circa usum suae potestatis quas teneatur servare. Iuxta hanc doctrinam praesides in concilio Basiliensi continuaverunt renuente et vivente Eugenio IV, cuius ante congregatio fuerat, imo adversus eum processerunt tamquam iudices ipsumque a Summo Pontificatu deposuerunt locoque illius elegerunt Amadaeum qui Felix fuit nuncupatus. Iuxta eandem doc-

894. GERSON, *De potestate ecclesiastica*, consid. 4, 10, 11, 12: ed. c. (nota 780), t. 6, 216ss; 228.229.232; 233; 236-242.

895. ALMAIN, JACOBO, *Libellus de auctoritate ecclesiae seu sacrorum conciliorum eam repraesentantium*, c. 78: ed. (junto con *Moralia*), Paris 1525, ff. 143r-149v.

896. *Concilium Basiliense*, sess. 2: COeD, p. 457, 19-26.

897. DRIEDO, JUAN, *De ecclesiasticis scripturis...*, l. 4, c. 4: ed. c., 240s.

898. *Concilium Florentinum*, sess. 9: Jover, *Sanctiones ecclesiasticae*, e. c., 172v b.

trinam Bernardinus de Carvajal et Fridericus<sup>1)</sup> de Sancto Severino cardinales convocaverunt postea tempore Iulii II concilium Pisani<sup>k</sup> et Mediolani propterea quod Iulius II renuerit congregare concilium universale; adversus quod conciliabulum congregavit Iulius II concilium Lateranense ultimum.

Rationes pro hac opinione hae sunt: Argumentantur 1.<sup>o</sup>, ex Matthaei 18<sup>899</sup>: *Si peccaverit, inquit, in te frater tuus et [...] te non audierit dic Ecclesiae, et si Ecclesiam non audierit sit tibi [f. 347v] tamquam ethnicus et publicanus*; ubi praecipitur denunciare Ecclesiae tamquam iudici omnium contra fratrem peccantem neque se emendare volentem; sed Summus Pontifex esse videtur frater, cum quotidie dicat: Pater noster; ergo si peccaverit neque se emendare voluerit denunciandus est Ecclesiae tamquam iudici ipsius, quae ipsum punire possit, ac proinde Ecclesiam habet sibi superiorem. Et probatur, quia Paulus, Galatas 2.<sup>900</sup>, in faciem restitit Petro quia reprehensibilis erat; et Actorum 11<sup>901</sup> qui erant ex circuncisione disceptabant cum Petro: *quare introisti ad viros praeputum habentes et manducasti cum illis?* Multo ergo magis id poterit facere Ecclesia universalis in concilio universali legitime congregato adversus Summum Pontificem Petri successorem.

2.<sup>o</sup> Prius reperitur ecclesiastica potestas data esse Christo et Ecclesiae, Matthaei 18<sup>902</sup>: *dic Ecclesiae et quodcumque ligaveritis*<sup>1</sup> etc., quam Petro cui data fuit Ioanne ultimo<sup>903</sup> illis verbis: *pasce oves meas*, licet postea fuerit ei promissa. Christus autem per hoc quod Petro postea tribuit potestatem, non denegavit potestatem quam tribuerat Ecclesiae, sed tantum prevenit Ecclesiam, eligens illi principem ecclesiasticum et sacerdotem atque Summum Pontificem quem ipsa potestate sibi tradita poterit eligere. Est ergo Ecclesia in potestate supra Summum Pontificem, quem ut eligere per potestatem sibi traditam a Christo potest, ita etiam deponere aut limitare usum potestatis, si viderit eum abuti

j'. MS: Ferdinandus de Sancto Severiano.

k. MS: Pisini.

l. MS: ligaveris.

+ 899. Mt 18, 15ss.

+ 900. Gal 2, 11.

+ 901. Hch 11, 2.

+ 902. Mt 18, 17s.

+ 903. Jn 21, 15ss.

ea. Et confirmatur haec ratio, quia unaquaeque respublica iure naturali habet potestatem sibi eligendi potestatem, principem et ducem a quo regatur, tum etiam sacerdotes, et hoc ius quondam habebat synagoga; fuit tamen praeventa a Deo dum illi in ducem dedit Moysen et in summum sacerdotem Aaron et [f. 348r] posteros eius. Pari ergo ratione licet Christus constituerit Ecclesiam in ordine ad finem supernaturalem quae potestatem haberet supra illam iuxta institutionem Christi et pari etiam ratione ipsum deponendi aut eum coercendi et iudicandi si in perniciem suam abuteretur ea potestate.

3.<sup>o</sup> argumentatur, quia hoc ipsum diffinitum fuit in concilio Constantiensi<sup>904</sup> his verbis: "Haec sancta synodus declarat, quod ipsa in Spiritu Sancto legitime congregata, concilium generale faciens, et Ecclesiam universalem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis etsi papalis existat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis, et reformationem dictae Ecclesiae in capite, membris, etc. Et rursus item declarat quod quaecumque persona cuiuscumque dignitatis etsi papalis quae in mandatis et statutis huius sacrae synodi, et cuiuscumque alterius concilii generalis legitime congregati, si praemissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contempserit, nisi resipuerit, condignae poenae subiiciatur et debite puniatur et ad alia iuris subsidia si opus fuerit recurrendo". Et idem repetitum fuit in concilio Basiliensi, sess. 2 et 18.<sup>o</sup> 905.

4.<sup>o</sup> argumentatur, quia nulli corpori est sufficienter provisum si membrum putridum quod potest inficere totum corpus non possit abscindi; sed Ecclesia militans est corpus quoddam a Christo ordinatum, cuius Papa est caput. Si ergo papa scandalosus et vastans Ecclesiam abscindi non possit et deponi ab Ecclesia non sufficienter providisset<sup>m</sup>; et perperam provisum esset per Christum, qui est sapientia summa, et cuius perfecta sunt opera, quod nullo pacto est admittendum.

5.<sup>o</sup>: quod fieri potest et debet pro vitanda morte corporali, fieri potest et debet pro vitanda morte spirituali; sed ubi [f. 348v] Papa iniuste et sine causa vellet prophetam<sup>m</sup> interficere, quilibet

m. Lectura probable.

904. Concilium Constantiense, sess. 4: COeD, 408, 10-15.

905. Concilium Basiliense, sess. 2 et 18: COeD, 457, 19-26; y 477, 25-35.

non solum posset, sed etiam teneretur eum impedire; ergo si Papa notorie scandalizat Ecclesiam et animas fidelium perducit in infernum quilibet potest et debet eum impedire.

6.º Papa infamatus de gravi aliquo crimine teneretur sub peccato mortali tollere scandalum et se purgare coram Ecclesia; quod et fecerunt Damasus, Xystus, Leo et Symmachus coactis conciliis. Ergo Ecclesia congregata iudex est Summi Pontificis ac proinde eo superior.

7.º Omne totum est maior sua parte; Ecclesia est totum et Summus Pontifex pars ipsius; ergo autoritas et potestas Ecclesiae maior est autoritate et potestate Summi Pontificis.

8.º Potestas ecclesiastica data est non solum membris propter Ecclesiam tamquam ob finem. Unde Paulus 2 Cor 10<sup>906</sup> ait se potestatem accepisse in aedificationem et non in destructionem. Sed etiam ipsimet Ecclesiae in membris data est ut ab Ecclesia ad membra derivaretur. Unde Augustinus, super Ioannem et habetur 24, q. 1, cap. Quodcumque<sup>907</sup>, affirmat Petrum, cum claves accepit Ecclesiam significasse easque accepisse tamquam gerens personam Ecclesiae; et in sermone Apostolorum Petri et Pauli<sup>908</sup> inquit: Petrus totius Ecclesiae gerebat personam et audire propterea meruit: *tibi dabo claves regni coelorum*; addens hos enim non ipse ut unus, sed ut unitas quae sit Ecclesiae. Potestas ergo Ecclesiae residet primo in Ecclesia ut est totum quoddam et non in Summo Pontifice, perinde atque dominium rerum temporalium quae Ecclesiae donata sunt in ipsa residet primo et Summus Pontifex solum est illorum bonorum dispensator. Fit ergo ut Ecclesia superior sit Summo Pontifice.

9.º Summus Pontifex non potest contra statuta conciliorum aliquid; unde Zosimus, capite Contra 25, q. 1<sup>909</sup> ita inquit: [f. 349r] Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare neque huius Sedis potest autoritas; at vero concilium potest cognoscere etiam causas Sedis Apostolicae. Unde in octava Synodo, sess.ª 10 can. 21<sup>910</sup> ita habetur: Synodus universalis cum convenienti re-

n. MS: serm.

+ 906. 2 Cor 10, 8.

× 907. C. I. C., c. 6, C. XXIV, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 968.

◊ 908. AUGUSTINUS. *Sermo 295*, 2, 2: PL 38, 1349.

× 909. C. I. C., c. 7, C. XXV, Q. 1: ed. Friedberg, 1, 1008s.

⊂ 910. *Concilium Constantinopolitanum IV*, sess. 10, cn. 21: COeD, 182, 28-36.

verentia querelam de Romana Sede exortam audire tenetur, et in ea proficere, non tamen audacter sententiam dicere in Romanum Pontificem. Ergo autoritas Ecclesiae et concilii est supra Summum Pontificem.

Ultimo confirmatur ex Hieronymo, ad Evagrium, cap. Legimus, 93 d.<sup>911</sup> dicente: si quaeritur orbis autoritas maior est urbe; id est, autoritas totius Ecclesiae maior est autoritate Ecclesiae Romanae.

His non obstantibus sit 1.<sup>a</sup> conclusio. Licet in concilio universalis includente Summum Pontificem repraesentanteque integre universalem Ecclesiam cum capite et membris, maior sit potestas Ecclesiastica extensive, ad extensionem subditi, quam in solo Summo Pontifice, reliquique episcopi in concilio congregati cum Summo Pontifice conducant et adiuvent ut plura et melius definiantur ac constituentur, nihilominus obtinere non plus potest concilium totum quam Summus Pontifex solus, neque minorem infallibilitatem ex assistentia Spiritus Sancti habet quam a solo Summo Pontifice in his quae ad fidem et mores pertinent fuerint definita, quam quae definita fuerint a toto concilio. Prima pars, quod scilicet maior sit potestas ecclesiastica extensive ad extensionem subditi in toto concilio quam in solo Summo Pontifice, patet; quia praeter potestatem quae residet in Summo Pontifice in singulis etiam episcopis est potestas non solum ad sacra conficienda et minuenda et potestas iurisdictionis in utroque foro in ordine ad suas oves, sed etiam est potestas ad definiendum concilium una cum Summo Pontifice [f. 349v] ea quae ad fidem et mores pertinent et ad condendum leges ad regimen Ecclesiae et ad utilitatem fidelium, ut disputatum est conclusione tertia; et rursus in dubio excitato post nonam conclusionem ostensum est. Quare extensive ad extensionem subditi maior est potestas quam Summi Pontificis. Secunda vero pars, quod scilicet episcopi congregati cum Summo Pontifice in concilio coadiuvent ut plura et melius definiantur, ostensa fuit in calce disputationis 14. 3.<sup>a</sup> pars patet ex dictis in superioribus, potissimum [disputationibus] 14 et 15, ubi ostensum est Summum Pontificem in rebus fidei et morum definiendis errare non posse; tum etiam ex disputationibus 4 et 5 ubi ostensum est Summum Pontificem vicarium

911. C. I. C., c. 24, D. XCIII: ed. Friedberg, 1, 329. CSEL 56, 311, 4-312, 5.



Christi et pastorem universalem Ecclesiae esse cum plena potestate ad omnia quae ad regimen universalis Ecclesiae pertinent. Cum ergo non plus obtinere possint episcopi neque divisi neque congregati cum Summo Pontifice in concilio iucti, fit ut concilium universale non plus possit obtinere quam solus Summus Pontifex. Et confirmatur, quia sicut toti Ecclesiae in pastoribus dictum est, Matthaei 18<sup>912</sup>: *quodcumque ligaveritis<sup>o</sup> super terram*, ita simili modo dictum est Matthaei 16<sup>913</sup>: *tibi dabo claves regni coelorum et quodcumque solveris aut ligaveris*, etc.

Ex hac conclusione colligo nihil posse constitui a concilio etiam concurrente Summo Pontifice ad eandem constitutionem per quod restringatur usus potestatis Summi Pontificis quasi vi alicuius constitutionis concilii aliquid factum a Summo Pontifice non teneat, quod seclusa tali constitutione teneret. Patet, quia cum talis constitutio sit de iure positivo humano sicut concilium potuit illam condere ita potest illam abrogare aut in ea dispensare. Ita patet Summum Pontificem [f. 350r] solum posse quidquid potest concilium, potestate quam Summus Pontifex habet in totum ius humanum ad dispensandum eo quod pastor sit Ecclesiae universalis et vicarius Christi. Quod similiter vel concilium vel Summus Pontifex decreto aliquo declamaret tamquam certum ex natura rei, ita non posse aliquid Summum Pontificem quod factum non teneat, aut non posse aliquid sine peccato, tunc cum tali decreto neque concilium neque Summus Pontifex errare posset. Itaque illud aut omnino non posset Summus Pontifex aut sine peccato; attamen antequam fieret tale decretum illud idem non poterat, quia illa erat natura rei, licet forte ante tale decretum ignorantia posset excusari vel a tota culpa vel a parte a qua non posset excusari constituto decreto. Haec omnia quae in hoc corollario dicta sunt late persequitur et probat Victoria in relectione De potestate Papae et concilii. num. 20<sup>914</sup>.

---

o. MS: ligaveris.

† 912. Mt 18, 18.

† 913. Mt 16, 19.

914. VITORIA, FRANCISCO, *Relectio IV: De Potestate Papae et Concilii*, n. 20: ed. c., p. 158s.

2.<sup>a</sup> conclusio. Praesto existente indubitato Papa et non haeretico, concilium universale congregatum aut continuatum sine autoritate Papae nullum est; quoties vero autoritate Papae est congregatum et continuatum, reliquum concilii est infra Papam; iam enim a concilio non potest iudicari. Haec est D. Thomae<sup>915</sup>, et Caietani<sup>916</sup> in hoc articulo. Caietanus item, 1.<sup>o</sup> tomo opusc., tractatu 1.<sup>o</sup>, cap. 5<sup>917</sup> et tractatu 2: Turrecremata, lib. 2, cap. 93 et rursus a capite 97 et 3 lib. cap. 29<sup>918</sup> et plurium aliorum quorum multos citatos invenies apud Turrecrematam, cap. illo 33.<sup>o</sup> Fundamental ratio huius conclusionis haec est: quia principatus Ecclesiae christianae non perinde est ab ipsa Ecclesia atque principatus et caput aliarum communitatum seu rerum temporalium esse solet a Republica, neque Ecclesia ius haberet ad illud eligendum et constituendum perinde atque reliquae respublicae ius habent suapte natura ad creandum et eligendum sibi caput. Ratio est, quia praeterquam quod Christus Dominus quatenus homo Rex et caput Ecclesiae constitutus a Patre aeterno, iuxta illud psalmi 2<sup>919</sup>: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, id est Ecclesiam, *praedicans* [f. 350v] *praeceptum eius*; et illud Lucae 1.<sup>o</sup><sup>920</sup>: *dabit illi dominus Deus sedem David etc. et regnabit in domo Iacob in aeternum*, Ecclesia christiana non prius fuit quam suum caput ut ius haberet eligendi illud neque caput ab illa habuit originem, sed ipsa a capite Christo Iesu quatenus homo est, a quo fundata fuit, iuxta illud psalmi 86<sup>921</sup>: *homo natus est in ea*, id est Ecclesia, *et ipse fundavit eam altissimus*. Unde Christus apostolis dicebat<sup>922</sup>: *non vos me elegistis, sed ego elegeri vos*; Christus praeterea eam redemit suo sanguine, illique promeruit non solum finem ad quem regimen ecclesiasticum ordinatur, sed et etiam charismata omnia et dona atque etiam tamquam ad media in ordine ad finem ultimum ordinata. Unde bona huius reipublicae a capite sunt et ob id

915. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologica*, II.II., q. 1, a. 10 c: ed. Leonina. t. 8, p. 24.

916. CAIETANUS, *Commentarii in II.II.*, q. 1, a. 10: ib., p. 25.

917. CAIETANUS, *De comparatione auctoritatis Papae et Concilii*, c. 7: ed. c., pp. 10 a-11 a; *De comparata auctoritate Papae et Concilii Apologiae Pars II*, c. 10: ed. c., 38s.

918. TORQUEMADA, JUAN, *Summa de Ecclesia*, l. 2, c. 93: ed. c., f. 226v, a cap. 97: desde el f. 232r; l. 3, c. 29 et 33: f. 306s y ff. 311-312.

—919. Sal 2, 6.

+ 920. Lc 1, 32.

- 921. Sal 86, 5.

+ 922. Jn 15, 16.

caput habet ius in illa et non ipsa ad constituendum sibi caput supra se et bona sua. Quia ergo munus Summi Pontificis in Ecclesia non solum est ex institutione Christi, sed etiam est munus vicarii et capitis Ecclesiae loco Christi, ut superius visum est (unde sicut Ecclesia in Christo est fundata, ita Christus promisit Petro se fundaturum Ecclesiam super ipsum tamquam super caput et vicarium loco sui, qui in absentia Christi illam administraret per se et successores suos) fit ut quemadmodum si Rex aliquis non habens a Republica ius regni, neque habens rempublicam superiorem se substitueret sibi aliquem in totum regnum et rempublicam qui loco sui illam gubernaret, talis respublica non maneret superior huic substituto et gubernatori, sed inferior et subdita; posset tamen propulsare iniuriam vim vi repellendo, si eam talis gubernator vellet inferre; et ita cum respublica christiana superior non sit Summo Pontifice a Christo loco sui relicto in illius gubernationem, sed inferior et subdita, possit tamen propulsare iniuriam si quam clare illi vellet inferre abutendo munere [f. 351r] a Christo sibi relicto et vim vi repellendo, non tamen tamquam superior aut iudex. Nisi ergo aliquis casus divino iure sit expressus aut ex iure divino colligatur in quo qui erat Summus Pontifex indubitatus, sit ipso facto depositus aut ab Ecclesia possit deponi aut iudicari, certe Ecclesia utpote inferior, neque iudicare neque deponere posset Summum Pontificem. Supra autem ostendimus ex iure divino ob crimen haeresis vel esse ipso facto depositum vel posse deponi ab Ecclesia et iudicari; at vero tantum abesse ut ex iure divino colligatur posse ab Ecclesia deponi ob quodcumque aliud crimen vel abusum sui muneris, vel potius ex scriptis sanctorum oppositum colligatur.

Praeter hanc rationem fundamentalem, tota nostra conclusio satis probata est et colligitur ex dictis in superioribus potissimum disputatione nona. propositione 1. 2. 7. 8 et disputatione 13. Praeter testimonia autem disputatione 13 citata quod Summus Pontifex ob nullum aliud crimen deponi possit, nisi ob crimen haeresis; quae etiam probant in nullo alio eventu indubitatum Summum Pontificem a quoque in terris possit iudicari etiam a tota Ecclesia. Vide cap. Nemo<sup>22</sup>, cap. Aliorum<sup>23</sup>, cap. Facta<sup>24</sup>, cap. Ip-

× 923. C. I. C., c. 13, C. IX, Q. 3: ed. Friedberg, 1, 610.

× 924. Ib., c. 14, C. IX, Q. 3: ib., 610.

× 925. C. I. C., c. 15, C. IX, Q. 3: ib., 610s.

si sunt <sup>926</sup> et cap. Cuncta, q. 3 <sup>927</sup> et cap. Electionem, 73 d. <sup>928</sup>. Vide etiam Innocentium III in sermone consecrationis Romani Pontificis <sup>929</sup>, qui incipit: Quis putas est fidelis; et in alio qui incipit: Qui habet sponsam. Quae omnia testimonia Summorum Pontificum idem probant. Idem etiam definitum fuit in concilio Romano cui praefuit Sylvester, canone ultimo <sup>930</sup>.

Verum confirmemus per amplius nostram conclusionem. Summus Pontifex ad reliquum concilii et Ecclesiae comparatur tamquam caput, cuius est regere ad reliquum corporis, cuius est regi; et tamquam pastor ad ovile sibi commissum; ergo reliquum concilii et Ecclesiae non est super Papam, sed illi subiacet; maxime cum non sit caput et pastor ex institutione Ecclesiae, sed Christi. Consequentia nota videtur et licet antecedens notum etiam sit, prior tamen pars [f. 351v] illius habetur ex damnatione articuli 7 Ioannis Hus in concilio Constantiensi <sup>p</sup>, sess. 15 <sup>931</sup>; tunc etiam ex concilio Florentino in litteris Sanctae unionis <sup>932</sup> ubi definitum est Summum Pontificem esse caput totius Ecclesiae atque a Domino traditam esse Petro plenam potestatem ad regendam universalem Ecclesiam. Posterior vero pars habetur ex Evangelio ubi dictum est: erit *unum ovile et unus pastor* <sup>933</sup>. Et Petro: *pasce oves meas* <sup>934</sup>. Et in concilio Florentino <sup>935</sup> de Summo Pontifice dicitur ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesuchristo plenam potestatem traditam esse. Et in concilio Lugdunensi, de electione, lib. 6, cap. Ubi periculum, § Caeterum <sup>936</sup> dicitur quod est Vicarius Christi, successor Petri, rector universalis Ecclesiae et director gregis

p. MS: Viennensl.

< 926. C. I. C., c. 16, C IX, Q. 3: ib., 611.

< 927. Ib., c. 17, C IX, Q. 3: ib.

< 928. Ib., c. 11, D. LXXIX: ib., 1, 279.

929. INNOCENTIUS III, *Sermo II in consecratione Pontificis maximi*: PL 217, 656 D; *Sermo III in consecratione Pontificis*: ib., 665 A.

930. *Concilium Romanum*, cn. ult.: Constitutio Sylvestri, c. 20: Mansi, 2, 632 A.

931. *Concilium Constantiense*, sess. 15, art 7 Ioannis Hus: COeD, 429, 34.

932. *Concilium Florentinum*, Litterae sanctae unionis: COeD, 528, 15-30.

+ 933. Jn 10, 16.

+ 934. Jn 21, 17.

935. *Concilium Florentinum*, Decretum pro Graecis: COeD, 528, 15-30.

936. *Concilium Lugdunense II*, De electione, l. 6, c. «Ubi periculum»: Harquin, *Acta Conciliorum*, t. 7, 707 D. Está en las Contituciones Gregorii Papae a Conc. Lugd. Gen. sancitae, c. 2.

dominici. Cum ergo munus capituli, pastoris, rectoris atque Vicarii Christi sit munus superioris in ordine ad id ad quod quis hoc habet, et Summus Pontifex hoc habeat non solum in ordine ad singulos fideles, ut volunt et respondent adversarii, sed etiam in ordine ad ipsam Ecclesiam, hoc est, congregationem fidelium, ut aperte sonant testimonia citata. Et potest confirmari, quia Ecclesia adversus quam portae inferi non praevalerunt quae non est singuli fideles, sed collectio, fundata est super Petrum ratione muneris iuxta promissionem Christi, fit ut reliquum Ecclesiae et concilii subiectum sit Summo Pontifici.

2.<sup>o</sup> confirmatur conclusio, quia in Ecclesia una est tantum suprema potestas immediata Christi; haec non est Ecclesiae ut distinguitur a Summo Pontifice; tum quia ut adversarii admittunt, quando Summus Pontifex non abutitur sua potestate subiecta est illi. Habet enim Summus Pontifex facultatem congregandi illam in concilio et dissolvendi concilium congregatum, tum etiam quia si Ecclesia ita [f. 352r] sumpta esset superior Summo Pontifice, iam Summus Pontifex non esset immediatus Christo et Vicarius Christi, sed medietur Ecclesia quae Christo esset immediatior; quod tamen est absurdum. Suprema ergo potestas in Ecclesia est Summus Pontifex aut concilium universale ut ipsum includit.

3.<sup>o</sup> Si Ecclesia tamquam superior posset limitare usum potestatis Summo Pontifici, ut adversarii dicunt, vel esset vi sui statuti faciendo ut non liceret Summo Pontifici quod secluso tali statuto liceret, vel faciendo ut factum non teneret quod secluso tali statuto teneret, vel certe declarando quando in iure divino vel non liceret vel factum non teneret. si detur hoc ultimum, id non est limitare usum potestatis Summo Pontifici, sed declarare utrum in republica sit iure divino unde superioritas non colligitur. Et praeterea probandum esset adversariis Ecclesiam ut concludit Summum Pontificem errare non posse ea in parte; si videtur aliquod duorum priorum cum omnis legislator humanus dispensare possit in suis legibus humanis saltem ita ut factum teneret omnino esset committere usum eius rei quam prohibet cui voluerit, sequeretur Ecclesiam posse alteri a Summo Pontifice id concedere tollendo eandem facultatem a Summo Pontifice, imo committere alicui alteri ut in ea parte dispensaret circa talem usum suae potestatis cum Summo Pontifice et ita constituere in Ecclesia potestatem quodammodo superiorem Summo Pontifice; ergo

impia sunt et ridicula. Non ergo Ecclesia superior est Summo Pontifice.

4.º Quod apud me tantum valet, ut quando aliud non esset, non dubitarem sententiam quam impugnamus periculosam esse in fide, ne amplius dicam. Si sententia istorum vera esset, Eugenius IV non praevaluisset adversus concilium Basiliense et Amadaeum quem Basilienses elegerunt in Pontificem deposito Eugenio, neque Ecclesia eum fuisset sequuta. Item iuxta hanc sententiam dicendum esset concilium [f. 352v] Florentinum, in quo graeci Ecclesiae Romanae uniti sunt quodque tota Ecclesia recepit et habet ut legitimum, non fuisse legitimum quandoquidem congregatum et celebratum fuit a non legatis Summi Pontificis affuisseque in eo non legimus Summum Pontificem, quandoquidem perseverabat eo tempore Amadaeus electus a concilio Basiliensi quique non renuntiaverat, et renuntiavit postea tempore Nicolai, qui successit Eugenio IV. Cum ergo haec impia sint, periculosa sane videtur ne amplius dicam, sententia unde ista sequuntur. Adde quod in concilio Lateranensi ultimo, sess. 12<sup>337</sup> in schedula abrogationis pragmaticae sanctionis a Leone X, sacro approbante concilio, concilium Basiliense appellatur conciliabulum nullumque robur potuisse habere affirmat, atque rationem reddit dicens: Non solus Romanus Pontifex pro tempore existens tamquam auctoritatem super omnia concilia habens conciliorum indicendorum transferendorum et differendorum plenum ius et potestatem habeat. Item, Eugenius IV, Bulla 3, quae habetur in concilio Basiliensi, sess. 16<sup>338</sup>, ita inquit: Si Papa vel delegatus eiusdem velle dispensare aliquem contra concilium affectaret; Papae sententia vel eius legati non concilii voluntas sequenda foret.

337. *Concilium Lateranense V*, sess. 11: super abrogatione Pragmaticae sanctionis: COeD, 642, 15-26. «Cum ea omnia post translationem eiusdem Basiliensis Concilii per felices memoriae Eugenium Papam IV etiam praedecessorem nostrum factam, a Basiliensi conciliabulo, seu potius conventicula, quae praesertim post huiusmodi translationem concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, hac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, nedum ex Sacrae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, sacrarumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste contet: quorum aliqua referre placuit, reliqua vero, utpote notoria, silentio praterire».

338. EUGENIUS IV, Bulla «Deus novit»: Harduin, *Acta Conciliorum*, t. 8, 1181 D. Eugenio IV niega que esa Bulla sea suya o hecha sabiéndolo él y la revoca «ad cautelam» (Cfr. ib., 1173 B).

Superest respondeamus ad argumenta proposita. Ad 1 ergo dicendum est fratrem peccantem neque se emendare volentem praecipi Matthaei 18 denunciari Ecclesiae quoad tribunal ipsius hoc est iudicem ecclesiasticum et praelatum, ut perpetuo intelligit et habet usus Ecclesiae; atque hic est legitimus sensus illius loci. Christus autem subiungens: *Amen dico vobis, quodcumque ligaveritis super terram*, satis innuit nomine Ecclesiae praelatum Ecclesiae se intelligere; cum autem Summus Pontifex licet frater sit simul etiam sit summus praelatus et iudex ecclesiasticus nullum in terra [f. 353r] habens superiorem, ut satis ostensum est, fit ut hoc ipsum in illo praecepto intelligatur exemptum; neque de numero fratrum qui ibi praecipuntur denunciari, ut Albertus Magnus<sup>939</sup> et D. Thomas<sup>940</sup> affirmant in 4, d. 19 et plures alii quorum dicta invenies apud Turrecrematam, lib. 3, cap. 98 ad 1<sup>941</sup>. Ad confirmationem dicendum est, aliud esse imminente periculo scandali resistere Summo Pontifici eum arguendo et dictis illius se opponendo, quod interdum licet; et aliud tamquam inferiorem eum iudicare et velle punire; primum, zelo charitatis fecisse Paulum, non vero secundum. Similiter dicendum, aliud esse disceptare et inquirere a Summo Pontifice qua ratione aliquid fecerit, quod primo aspectu videretur illicitum et scandalizaret Ecclesiam, et aliud velle eum iudicare et punire quasi esset inferior; primumque fecisse fideles illos, non vero secundum. Vide etiam Gregorium, cap. Petrus 2, q. 7<sup>942</sup>.

Ad 2, negandum est Christum ibi tradidisse potestatem Ecclesiae, ut patet ex dictis disputatione 15. Solum enim ibi significavit eos tamquam praelatos Ecclesiae habituros in futurum eam potestatem, in eaque Summum Pontificatum includebat, neque institutionem Summi Pontificatus reliquit Ecclesiae, sed ipse per se ordinavit ut esset in Ecclesia et tradidit Petro quem instituit ut esset primus loco sui. Praescribere vero modum eligendi in posterum Summos Pontifices non ad reliquum Ecclesiae, sed ad

939. ALBERTUS MAGNUS. *Commentarium in IV Sententiarum*. d. 19, art. 20: ed. Opera omnia, Vivès, 29, 825.

940. THOMAS AQUINAS. *Commentum in Quartum Librum Sententiarum*, d. 19: ed. Vivès, Opera omnia, t. 10. No hemos logrado encontrar nada de lo que Molina afirma en el texto.

941. TORQUEMADA, JUAN DE. *Summa de Ecclesia*. l. 2, c. 106: «De remediis contra papam moribus suis pravis scandalizantem Ecclesiam»: ed. c., ff. 246-247.

942. C. I. C., c. 40, C. II, Q. 7: ed. Friedberg, 1, 496.

Summos Pontifices pertinet, ut in superioribus est habitum. Ad confirmationem, neganda est consequentia propter rationem disparem quae assignata est in prima ratione fundamentali qua probata est secunda conclusio. Et adde quod instituere sacerdotium quale est in lege potens attingere instrumentaliter effectum spiritualem et supernaturalem, non ad rempublicam, sed ad Deum aut ad Christum redemptorem nostrum pertinebat quemadmodum et instituere sacramenta.

[f. 353v] Ad 3 patet solutio ex dictis disputatione 10, ubi ostensum est quod licet concilium Constantiense legitimum fuerit in ordine ad declarandum verum Summum Pontificem et extinguendum schisma; quae tamen definivit solum infallibilitatem habent quatenus confirmata fuerant a Martino V, ut ex dictis ibi patet, ibidem etiam ostensum est diffinitiones concilii Basiliensis, etiam quae habentur in 1.<sup>a</sup> et 2 sessione non esse irrefragabilis autoritatis.

Ad 4 neganda est maior; a corpore enim humano abscindi nequit caput, esto putridum sit et inficiat totum corpus; etiam tamen sufficienter est provisum ut patiebatur natura ipsius, atque hoc ipso Christus in Ecclesia sua prohibuit caput abscindi et viduari a membris. Quod si dicas ex abscissione capitis humani sequi destructionem totius corporis et praeterea loco illius non posse sustitui aliud, neutrum vero cerni in capite Ecclesiae, dicendum est quod, ut disputatione 13 ostensum est, ex eo quod Christus reliquisset Ecclesiae potestatem abscindendi caput et iudicandi Summum Pontificem maiora mala sequerentur quam sequerentur ex eo quod sit tolerandum quousque vel emendetur vel a Christo ipso abscindatur. Unde cum ex duobus malis minus sit eligendum, sapienter a Christo id statutum est supposito quod in hac Ecclesia militante in hominum probationem relinquebat singulas partes Ecclesiae in manu consilii sui. Ad maiorem ergo illam dicendum est esse veram quando ex potestate abscindendi tale membrum non sequuntur maiora mala, secus autem si sequuntur, ut accidit in proposito.

Ad 5 dicendum est, solum probare nos posse resistere Summo Pontifici si patentem iniuriam nobis vellet inferre, posseque vim vi repellere cum moderamine inculpatae tutelae, quod libenter



concedimus; non tamen [f. 354r] probare posse illum iudicare et punire tamquam inferiorem. Et adde quod cum salus spiritualis cuiuscumque adulti a libero suo arbitrio regulariter loquendo, non tamen coacte, teneretur aliquis prohibere pontificem si faceret aliquid quod vergeret in mortem supernaturalem alicuius adulti, quam si vellet eum interficere.

Ad 6 dicendum est quod teneretur se purgare ostendendo coram illa suam innocentiam, ut ita tolleretur scandalum, quod fecerunt pontifices illi, non tamen assumendo illam tamquam iudicem et superiorem a qua puniretur. Unde neganda est consequentia.

Ad 7 negandum est Ecclesiam praecisse sumptam a Summo Pontifice, habere se ut totum comparatione Summi Pontificis. Quod si sumeretur ut includit Summum Pontificem, solum sequeretur potestatem Ecclesiae esse maiorem extensive ad extensionem subditi, non vero obiective, ut supra ostensum est; potestas namque Summi Pontificis ut superior extendit se ad omnia ad quae inferiores, et adde non semper totum esse magis, quoad virtutem, sua parte. Quare quod attinet ad virtutem aliquando non est totum, hominemque licet sit totum ratione oculorum, non tamen est maioris virtutis ad videndum quam sint oculi, propterea quod tota virtus ad videndum convenit ratione oculorum.

Ad 8, admissa potestatem Ecclesiae datam esse propter Ecclesiam tamquam ob finem, negandum est datam esse primo Ecclesiae et non membris. Augustinus autem eligens magis expositionem illam quod Ecclesia non super Petrum sed super Christum sit fundata, quam tamen disputatione 4 minus probavimus cum communi sanctorum et doctorum sententia, illis modis loquendi usus est interdum. Forte tamen in illis tantum voluit Petrum non solum [f. 354v] sibi, sed successoribus etiam claves et potestatem ecclesiasticam accepisse ut maneret in Ecclesia, et ob id dixisse repraesentasse Ecclesiae quando illas accepit, accepisseque illas non ut unum, sed ut unitatem Ecclesiae, id est ut maneret in Ecclesia et in suis successoribus, atque in bonum Ecclesiae. Longe autem diversa ratio est de dominio rerum temporalium; nam res temporales non Summis Pontificibus, sed Ecclesiae datae sunt et ob id Summus Pontifex est illarum dispensator.

Atvero potestas suprema ecclesiastica Petro soli et successoribus suis data est licet propter Ecclesiam tanquam ob finem.

Ad 9 dicendum est illud Zosimi intelligendum esse de statutis quibus declarantur aut constituuntur ea quae pertinent ad ius naturale aut divinum eaque quae pertinent ad fidem, non de statutis quae sunt de iure humano. Illud vero Octavae Synodi confirmat aperte nostram sententiam; diffinire namque quaestiones quae pertinent ad bonum Sedis, utrum scilicet sit prima, utrum possit errare, etc. ad concilium spectat, non tamen ad iudicium Summi Pontificis.

Ad ultimum dicendum est ibi, ut aperte patet intuenti, probare Hieronymum praesbiteros superiores esse diaconis. Obicit vero sibi quod Romae ordinentur praesbiteri ad testimonium diacon[or]um et respondet in tota Ecclesia praesbiteros haberi tanquam superiores, maioremque esse auctoritatem totius Ecclesiae hac in parte quam urbis Romae quoad istam consuetudinem; quod verissimum est. Neque enim illa est definitio et dogma Summi Pontificis, sed consuetudo quae mutari potest, neque propter illam diaconi Romae habentur superiores presbyteris. Adde quod testimonium illud diaconi, est antequam presbyteri initiuntur sacris ordinibus et presbyteri sint. Quae consuetudo etiam hodie viget in Ecclesia latina; attamen qui tanquam diaconus ministrat episcopo, presbyter esse solet. Finis.